This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Digitized by Google

Digitized by Google

ERYCI PVTEANI

EPISTOLARVM FERCVLA SECVNDA.

Ad Clariſſ. V.

LVDOVICVM SEPTALIVM,
Patricium & Medicum Mediolanenſem.

Adiuncta

ELOQVENTIÆ
Auſpicia Secunda.



HANOVIÆ,
Typis Wechelianis, apud Claudium Marnium, & heredes Ioan. Aubrii.
MDCIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

ERYCI PVTEANI
EPISTOLARVM
FERCVLA SECVNDA.

Ad Clariſſ. V.

LVDOVICVM SEPTALIVM,
Patricium & Medicum
Mediolanenſem.

Adiuncta

ELOQVENTIÆ

Auſpicia Secunda.



HANOVIÆ,
Typis Wechelianis, apud Claudium Marnium,
& heredes Ioan. Aubrii.
MDCIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

C. V.

LVDOVICO SEPTALIO,

PATRICIO MEDIOLANENSI;
VRBIS SVÆ ÆSCVLAPIO,
ELEGANTIARVM GENIO;
QVEM BONI PRÆSIDIVM;
DOCTI DELITIVM;
VTRIQVE
PRISCÆ ET FVGIENTIS
VIRTVTIS, DOCTRINÆ, HVMANITATIS
EXEMPLVM HABENT;

EPISTOLARVM
FERCVLA SECVNDA,
SVO PRÆSIDIO,
SVO DELITIO,
SVO EXEMPLO,
VELVT PATRI FILIVS,
SACRA ET ÆTERNA VOVET

ERYCIVS PVTEANVS.
MEDIOLANI
VII. KAL. MART. ∞. IↃCIII.

HIC ILLE VIR,

— in quo veteris veſtigia recti,
Et mores video ductos meliore metallo.

Digitized by Google

Ad Lectorem.

BONVM FACTVM, *mi Lector*, *Ad* EPISTOLARVM FERCVLA SECVNDA, *velut ad novum Convivium te voco. Novum inquam, quod & mea mora, & quorumdam nauſea ſic diſcrevit. Sed illa mea, ut rem dicam, ab hac quorumdam orta, colliſis rationibus, univerſum panè inſtitutum conturbavit. Quem enim non retardent, imò ſiſtant tot judicia, tot cenſuræ? Ab illis ipſis, qui cũ puerili balbutie adulti colluctantur, quanto faſtidio, quanto ſupercilio legor! ſenſum meum, ad ſuum; phraſes, ad ſuas; verba, ad ſua examinant: & Epiſtolas ſingulas, quaſi ſibi ſcriptas. O ineptos! Primùm, ſenſum meum mihi proprium eſſe volo: phraſes & verba,*

Servatâ ſemper lege, & ratione loquendi,

ab Antiquis. Deinde Epiſtola ſicuti matrona eſſe debet,

—tibi quæ juncta recumbit:

tua ſit, tibi placeat, & à te una capiatur. Si in publicum prodit, velata aut veſtita prodeat, ne videatur quidem viſa; imò videatur, modò ne tua eſſe deſinat. Non ad eoſdem, aut pares ego ſcribo;

& ad plures cottidie tamen ſcribo: ſecreta ad amicum, erudita, quantum quidem ſubitanea induſtria protrudit, ad doctum. tu hæc omnia tuo torno & cothurno compares? niſi amicus, ſecreta mea non potes; nec erudita, niſi doctus. Ad doctum autem Epiſtola mihi habeat, quod matronæ negatum eſt,

Dicendi genus, & curvum ſermone rotato
Torqueat Enthymema:

ad amicum, ſeria, ludicra, mixta; quæq; naſci inter duos debent, & perire inter duos. Cur igitur edo? quia docti & amici pariter patiuntur: quia multa intercurrunt bonis æquisque ingeniis non repudianda: quia cum fructu aut delectatione leguntur quædam, nec intelliguntur. In picturâ lineæ & figuræ excitãt, tametſi res & hiſtoria non intellecta: ita in Epiſtolâ, ipſe ille color & ſanguis dictionis, licet ſenſus alibi fugitivus. Sed quàm tunc juvat intẽdere mentis aciem, & ſenſum ſcriptoris ſequi! Experire, & diverſum te ab ijs præſta, qui, neſcio quo morbo, aliena omnia ſcripta ſub calumniam rapiunt iniquiſſimæ cenſuræ. De Epiſtolis autem meis hoc illius judicium amplectere, qui ad famam veterum ipſe Epiſtolas ſcripſit atq; divulgavit. Quis ille? ecce tibi nomen; imò ecce judicium ipſum in Epiſtolâ quoq; expreſſum.

IVSTVS

Digitized by Google

IVSTVS LIPSIVS
ERYCIO PVTEANO ſuo.

PROMVLSIDEM tuam vidimus,id eſt vina & mella. Planè pro ſuo nomine liber eſt: & acumen ſive acrimoniam in ſenſibus habet, & in verbis puritatem,atq; etiam ſuavitatem. Quid amplius dicam? niſi illud,

I bone,quò tua te virtus vocat,i pede fauſto.

Ad alia, longiùs longiusque mi Puteane: ſed pede ſemper recto, id eſt per viam quam veteres calcarunt,& ego monendo aut docendo praivi. Novitios iſtos ſi audias,ſtolidos aliquos Hermas; deflectas,& ad lãguida quædã aut frigida te dones,quæ ipſi Tulliana vocant, O quàm indignetur & colorem non teneat,ſi reſurgat ille Tullius,& hæc cernat! Ille altus,ille excitatus,& alacer,plenus ſpirituum & ſanguinis,probet hos tabidos,jacentes,& verè χαμαιπετεῖς λόγους? Atqui phraſin ejus & verba habent. Neſcio.dicunt: ſed hoc ſcio, non verba, ſed pectus & vim mentis eſſe, quæ diſertos facit. Scitè nuper à Politiano dictum, meliorem honeſtioremq; leonis faciem eſſe,quàm ſimiæ; etſi iſta ad hominem propiùs accedit. Nihil eſt hoc imitari,ſi à te nihil inſpiras; imò ſi omnia tua non facis, & velut è proprio fonte emittis.

——qui ſibi fidit
Dux,regit examen.

Alii ſerviant, mendicent: fama aut vita non reſpiciet,quicquid hoc eſt ſcriptorum. Stuporem! ad unius illam imitationem nunc nos vocari:quod nemo veterum aut piorum ſomniavit! Scilicet plus cordis noſtri magiſtri habent, quàm Fabius & ipſe

Digitized by Google

Cicero, qui ad omnes non oratores ſolùm, ſed hiſtoricos, poëtas etiam ducunt. Sed omitto has lacunas, quæ non niſi ab imbre implentur, à ſe arentes: tu inter vivos, ut dixi, fontes eſto, &, quod ſequi ſolet, perennes.

Cupio & conor, mi Doctor; & loquaces in aliud quoq; ævum dare lymphas, quæ vim & vigorē melioris auræ adfundant. Efficiam autem, ſic favoris tui rivo illabēte, qui ducit & trahit per objectos aggeres invidæ æmulationis. Venam & anguſtiam ingenij mei ego novi; ac proinde colligendas potius aquas, quam ſpargendas: ſed liceat tamen interim levi emiſſario experiri induſtriæ meæ vires, & adjacentes agellos irrigare. Tu quoq; patere bone Lector, ad cujus uſum ſive oblectationem iſta, & omnia mea, ſunto.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
FERCVLORVM
SECVNDORVM.

A

Aloyſio Georgio Epiſt. LI.
Aloyſio Lollino Epiſcopo Belluni XII.
Angelo Stephano Garono XCII.
Annæ Puteanæ Sorori meæ. XVI.
Antonio Clerico XLIII.
Aquilino Coppino XXVIII.
Arnaldo Cathio XLV.

C

Carolo Laurino X. LXIII. LXXXII.
Chriſtinæ Puteanæ ſorori meæ XVI.
Chriſtophoro Mauricio III.
Claudio Marnio Typographo XXV. LXVIII.
Cœnipetæ meo XLVIII.

D

Dominico Rudolfo XL.

F

Florentio Laurino XV. LXX. C.
Franciſco Cagnolio LXXXIV.
Franciſco Landriano XLIX.
Franciſco Teutonio XXXIX.
Frederico Bonaventuræ XXII.
Frederico Borromæo S.R.E. Cardinali LXI.
Frederico Quintio LIX.

G

Gabrieli Steydlino XXXVII.
Gaſperi Schoppio LXXX.
Gerardo Cantavio XXXII.
Guljelmo Athenio II. LII. LXXXIII.
Guljelmo Huyſmanno XLVII.
Guljelmo Montheloniɢ LXIX.

Digitized by Google

Guljelmo Richardoto LX

H

Hannibali Bernæ L.
Helenæ Crivelliæ XC.
Henrico Farneſio XXXVI. LVIII. LXXXVII. XCVI.
Henrico Cranenſteinio XXXI.
Hermanno Greelio XCIV.
Hieronymo Mercuriali XLI.
Huberto Audeiantio LV. LXXIV. XCIX.

I

Io.Bapt. Caimo
Io.Bapt. Calcho — XVII.
Io.Bapt. Vertuæ
Io.Bapt. Hanſenio XXIV.
Io.Bapt. Sacco XLII.
Io.Bernartio VI.
Io.Civili XXX.
Io.Cotovico VIII. XXXV. LXXXIX.
Io.Fernandæo Velaſcio Comeſtabili Caſtellæ VII. LXXXI.
Io.Mangano XCVII.
Io.Moreto XLIV.
Io.Sadelerio LXXIX.
Io.Seroulſio LXV.
Io.Vincentio Pinello XIV. XXXIV. LI. XCI.
Io.Wouwero LXXVI.
Iſabellæ Andræinæ V. XIX. LVI. LXXVIII.
Iulio Cæſari Ruginellio XXI.
Iulio Cæſari Vicomercato XVII.
Iulio Caſſerio XXVI.
IVSTO LIPSIO IX. XXIII. XLVI. LXVI. XCV.

L

Laurentio Pignorio LXXXVI.
Leonardo Cardano L.
Leonardo Gutenſteinio LXXXV.
Livino de Succa VIII.
LVDOVICO SEPTALIO I. XI. XVIII. XXIX. XXXVIII. LIII. LXXII. LXXXVIII.

M

Marco Velſero IV. LXIV.
Marcellino Genuenſi XL.
Matthæo Sanderio XIII.

Digitized by Google

Melchiori VekWyckio meo — XXXIII.

N

Nicolao Collardo — XCVIII.
Nicolao Fabricio Calaſſio — LVII.

O

Octauio Viſmatæ — XCIII.

P

Paullo Benio — LXXI.
Paullo Franciſco Cigalino — LXVII.
Petro Antonio Calcho — XVII.
Petro Cantonio — LXXV.
Petro Pantino — XXVII.
Philippo Rubenio — XV. LXXVII.

R

Raphaëli Sadelerio — XXXIX.

S

Scipioni Campo — XX.

T

Thomæ Segeto — VIII. LXII. LXXIII.

Digitized by Google

IVSTVS LIPSIVS

ERYCIO PVTEANO SVO calcar addit ad

Editionem EPISTOLARVM.

ECquando, PVTEANE, *vota noſtra*
Et tuam pariter fidem reſignas?
Quando FERCLA SECVNDA EPISTOLARVM,
Illa lauta, diſerta, & erudita
Fas contingere, fas erit frui ſci?
PROMVLSIS *tua nuper hoc ſpopondit.*
Si negas, titulus revincit: & cum
ANTECÆNIA *iam data, ipſa* CÆNA
Iure poſcitur. audin' hoc amice?
Et fides agitur tua, atq; fama:
Libera unâ operâ illam, & hanc adauge.

ERYCI

Digitized by Google

ERYCI PVTEANI EPISTOLARVM FERCVLA SECVNDA.

EPIST. I. *Mediolanum.*

LVDOVICO SEPTALIO, V.C.

Patricio & Medico Mediolanenſi S.D.

VERVM amicum pro theſauro ſemper habui: & te talem LVD. SEPTALI, blandum verbis, benignum affectu; alterum quaſi Parentem meum, alterum quaſi Doctorem; ſed Parentis, & Doctoris cauſsâ. qui uterque te potiſſimùm conſortem, an ſuccidaneum? poſcebat: ille Amoris, hic Eruditionis. Ego quoque te reſpexi potiſſimùm, & nunc reſpicio abſens; vt, ſi amare me velis, ſcias te filium inveniſſe; diſcipulum, ſi formare. Sed tu me amas mi Parens, formas mi Doctor, & æterno pietatis vinclo tibi obſtrictum habes. Tibi? imò multis. multi enim in me proni, quia tu es: & ſic quoque multis me debere fateor, quia tibi. Quando, & quo ære exſolvam? voluntas certè adeſt, ò ſi facultas, & vires! Nunc verò *& vivendum & moriendum mihi adhuc ingrato.* ingrato inquam; niſi agnoſcendo beneficia atq; promulgando, redhoſtire videar: facturus mehercle, etſi non videar:

Digitized by Google

hoc inprimis, quo ad publicũ munus & famã meã ſtudia is productum. Annon in eo es, & prenſare jam cœpiſti? alii ſcribunt. Perfice, perfice: beneficium ego ſi non referre, agnoſcere & æſtimare tamen ſcio. Vale. Patavij, VII. Eid. Sextil. ∞. I Ↄ. IC.

EPIST. II. *Florentiam.*

GVLIELMO ATHENIO *meo*,

Artium & Medicinæ Doctori.

HEm fulmen tuorum verborum!

Cur me querelis exanimas tuis?

Egon' pudet pœnitetq; effari. inviolatum Amicitiæ noſtræ ſacramentum habeo, & colo. Miſi ad illum tuum, PANEGYRICVM meum, miſi litteras, ut ille porrò ad te. Fidem hominis, ſi neglexit! ego tamen extra culpam. Tuas (Mercurium teſtor) nullas accepi; niſi ultimas haſce, breues, triſtes: in quibus optimi parentis tui funus, tuaſq; lacrymas video. comprime, mi amice; & cogita Deum Naturamque ſic iubere, ut homo inter homines eſſe aliquando deſinat; ut filium pater præcedat. Ille ante te fuit, ut poſt illum tu eſſes. Citiùs ſi curſum hunc finivit, quid niſi compendium fecit miſeriæ humanæ? Sed hæc ego non inculco, prompta & expenſa tibi, ad rectæ rationis lancem: tantùm, ipſe vivas, valeas, poſteroſq; cogites. Mediolani, v. Kal. April. ∞. I Ↄ C I.

Digitized by Google

EPIST. III. *Mediolani.*

CHRISTOPHORO MAVRICIO,

Profeſſori Publico.

CVm te cogito, Eruditiſſime vir, illud Comici cogito:

Vt ſæpè ſumma ingenia in occulto latent!

Tam amœnum, tam litteris plenum pectus publicè non ſuſpici, non coli? Ævi culpâ, ſed & aliquâ tuâ fit. Ævi, quod averſum & alienum ab omni ingenij cultu, totum in vitijs & in faſtu. Quid mirum? ad præmia quiſq; laſcivit & peccat:

Sola pruinoſis horret facundia pannis,

Atq; inopi linguâ deſertas invocat artes.

Sed & tuâ aliquâ culpâ dixi, etſi ſine culpâ: qui è rumoris turbido veſtibulo te recipis ad conſcientiæ tranquillitatem. Sapienter hoc quidem meherclè, & pro animi decoro. Quid enim Famæ illa blandiens aura, tam anxiè captata, tam ſtudioſè collecta? uno verbo, aura, umbra, nihil. Virtutis omnis fructus in animo ſitus eſt; & contemptu ipſo gloriæ, præmium gloriæ in ſe quiſq; invenit, etiam nō quæſitum. Equidem cùm hæc diſputo, te laudo; ſed conatū obſtreperi illius rideo, qui cœlum terramq; commotur⁹ in me videbatur, ut naſcentem aliquam Famam meam obrueret. Et tamen, ſi DIs placet, cenſuram nunc quoq; ſcriptorum meorum gerit: quo ſuffragio? nullo bono, aut ullius boni. Λύκος περὶ τὸ φρέαρ χορεύει. Ego inter homines me eſſe ſcio, errori obnoxium, & correctiones libens patior; ſed à probo, & perito. Ille autem quis eſt?

num probus? meum non eſt cenſere: num peritus? ex oratione liquet, quâ in publicum nuper erupit. O putidum faſtum! in pulcherrimo illo centone plura pænè vitia, quàm verba: & quæ vitia? decumana; ferulâ, ferulâ multãda. Tota dictio enervis, ſine ſanguine, ſine colore: uti & ipſe auctor, cùm Catullo dicam,

— inauratâ pallidior ſtatuâ.

Sed illum linquo, te amo, & BONAM MENTEM. Vale. XI. Kal. Octobr. ∞.IↃCI. De Meridie.

EPIST. IV. Auguſtam.

MARCO VELSERO V. X.

Reip. Auguſtanæ II. viro Præfecto.

ANte menſes aliquot imaginem meam ad te miſi: ſæpiuſque litteras: accepiſtin'? neſcio; quia ab illo tempore nihil à te. Semper, mihi crede, ſilentium ſuſpectum eſt. Quid autem? minùs tibi fortaſſis ex animi ſententiâ? avertat Deus. An aliquid oblivionis mei? & hoc avertat. Ego te amo; & ſic durum eſſet non à te amari. Debiles in me cauſſæ ſunt, fateor, amoris: ſed tu quoque ſcis humanum eſſe, quem deſpicis, non deſpicere. Vt Sol ille non ſidera tantùm; inter quæ medius fertur, illuſtrat; ſed imam & minimam hanc quoque maculam telluris: ſic non æquales illos tuos & in alto poſitos amabis tantùm; ſed nos quoque in humili & obſcuro amabis. niſi inducias quaſdam eſſe vis, & intervalla amoris. Si ita; lucem nobis licet parumper

rumper

Digitized by Google

ſumper ſubtrahas, at non calorem: ſcriptionem, nō amorem. quod te rogo; & ſalvere jubeo. PROMVLSIS poſita eſt, & exemplar ad te meo nomine mittet, ad quem tu haſce adjunctas. Mediolani, VI. Kal. Octobr. ∞.IↃCI.

De PINELLO ſcio te ſcire: ego doloris cicatricem non revello.

EPIST. V. Ticinum.

ISABELLÆ ANDRAEINÆ,

Academica Intenta.

TAntam facundiam, tantas litteras in feminam cadere! Vbi robuſtior ille ſexus, qui in chartis pallet, in pulpitis ſudat, in ſtudijs conſeneſcit? Ecce litteris nunc quoque Amazones ſunt, & Pētheſileam ſuam habēt. Annon ſic meritò te appellem ANDRAEINA, & τοῖς ἀνδράσι opponam? Feminis à Naturâ inſitum, loqui: tibi verò, benè loqui. quo fit, ut corrigendo muliebre vitium, virilem virtutem ſuperes. Platoni olim, ut in prodigio eſt, mel ſuum apes, velut divinæ facūdiæ indices, in os inſeruerunt: tibi verò Gratiæ ipſæ, *non montem Hymettum* (Valerij verbis utor) *thymi flore redolentem, ſed Muſarum Heliconios colles omni genere Doctrinæ virentes, Dearum inſtinctu depaſtæ, maximo ingenio dulciſſima alimenta ſummæ eloquentiæ inſtillaſſe videntur.* Scribis acutè accurateque: dicis ex tempore, ſed quaſi ſcripſeris; eâ ubertate & copiâ, ut cùm nihil addi poſſit, nihil ſuperſit; eo geſtu, ut loqui ipſos digitos; eâ voce, ut

Digitized by Google

intùs canere Sirenum concordiam putem; eâ deniq; felicitate & ſucceſſu, ut nutu arbitrioque tuo

—pleni modereris frena theatri.

Quoties te audivi, inſcitiam & infantiam eorum deprehendi, qui ſe doctos diſertoſque profitentur: ac meipſum quoque, cui dicendi partes in publico ſunt, puduiſſet tituli mei; niſi tu eum elegantiſſimo carmine (elogium ſive augurium promês) adſeruiſſes. Ego augurium interpretor, quod tu elogium eſſe voluiſti: & ſic elogij luce circumfuſus, tueor dignitatē nominis mei, velut augurio promiſſam. Tu verò beata, ò Suada, ò Muſa, cui jam immortalitas parta! Tua enim, dum vivis, ſcripta in pretio ſunt, & leguntur; ac, dum vivis, aliorum quoq; de te monumenta habes, & poſteritati tuæ cœpiſti intereſſe. Ejà Ejà: lege, & legere; imò excitare, ut ſcribendo ſcribentium præconia ſuperes: excitare, ut poſterorum acceſſuram admirationem augeas. Te nobis Natura ipſa, temporiſque pater: tu te poſteris dabis. quodque te admiramur, tuæ induſtriæ, & ſimul benignæ Naturæ acceptum ferimus; ſed quòd poſteri admirabuntur, in te unam redundabit. Quo te vehementiùs hortor & rogo, ne minùs ſcribendo teipſam poſteris, quàm dicendo benignitatem Naturæ nobis commendes. MYRTILLAM Eclogam, & nunc EPIGRAMMATA vidimus: plura emolire; ut liberis fœcunda, libris quoque evadas. Ergò *Epiſtolares lucubrationes*, queis Comicas omnes delitias, Tragicas divitias, & quicquid elegantiarum eſt, incluſiſti, de manu prome, ut in manus multorum veniant: nos heredes, & deinceps poſteri erunt, tu tamen ſemper domina. Aliter enim ſe Fortunæ ludibria, aliter hæc ingenij

mo-

monumenta habent: illa, poſt te alium atq; alium poſſeſſorem ſortientur: hæc nunquam tua eſſe deſinent, etiam cùm videbuntur deſijſſe. Eſt etiam quod jure quodam amplius à modeſtiâ tuâ exigimus; ut, prœmio ingenii publicè ſumpto, oſtendas te non ingrato ſeculo tam præclaris ac luculẽtis dotibus illuxiſſe. Itaque laurum carpe, & tẽpora venuſtamque illam χρυσῆς Ἀφροδίτης venuſtatem inumbra. ita enim futurum, ne dum verborum nectare audientium ſenſum mulces, vultus igneo nitore & oculorum radijs accendas. Nec renue. Poſteri ipſi iniquè laturi, quòd ꝓmereri Phœbarum hunc honorem potueris, non adſumpſeris: nos malè audituri, quaſi præmium inviderimus. Cogita ò Suada, ò Muſa, & teipſam, nos, poſteroſque cogita; me quidem ingenij, & eloquij tui miratorem & cultorẽ æternum habitura. Sic carmen hoc habe, nõ ut ipſum (impolitum enim eſt;) ſed ut animum inſpicias. Vale. Mediolani, Poſtridie Eidus Decembr. ∞ IↃ CI.

AD

ISABELLAM ANDRAEINAM,

SECVLI NOSTRI SULPICIAM,

Florem illibatum populi Suadæq; medullam

ENCOMIASTICON.

TER *dilecta Jovi, cui tres tria munera quondam*
Contribuere Deæ, Cypris, Tritonia. Juno;
Carmine te facili dicam, tua munera dicam.
Cypris, natalem creperi cum luminis auram,

Digitized by Google

Libares, medio ſpumantis gurgite Ponti
Emergens, vultumq́; tibi, ciliumq́;, comamq́;
Flore venuſtatis tinxit; Geniumq́; Leporum
Omnibus inſperſit mēbris: Venus altera ut eſſes;
Alma Venus, ſed caſta, & caſti mater Amoris.
Mox, ubi conſpexit neglecta crepundia Pallas,
Indidit ingenij vires, & ſemina Famæ,
Pierio facilem perfundens nectare mentem,
Pierio facilem perfundens nectare linguam,
Nectare, quâ priſci duraret Suada Theatri.
Pennato ſequitur greſſu Saturnia Juno,
Nubilis indignans ſine conjuge virginis annos
Labi: felicem thalamum, tædasq́; jugales,
Et tabulas ornat: carmen canit ipſe Hymenæus.
Duceris à caro, & numerò fœcunda marito
Multiplici pateris Lucina prole labores.
Conſtans connubij vinclum! Tu conjuge digna:
Te pariter conjux, cui pignora cara dediſti.
Nunc terna veterem Diua poſuêre furorem,
Quasq́; Paris peperit rixas, feliciter aufers.
Tu nova dicêris Cypris, Tritonia, Juno:
Caſto coniugio, Sophiâ, vultuſq́; decore.

EPIST. VI. *Mechliniam.*

IOHANNI BERNARTIO S. D.

SIlui, mi BERNARTI; ſed in ſilentio amorē non omiſi. Ita enim natus & inſtitutus ſum, ut quem ſemel amicum, perpetuò habeam: te certè, quem ob virtutem litteraſque amare cœpi, & amo. Cœpi, cum BARCLAYO, longùm nimis divulſo, an

abrepto?

Digitized by Google

abrepto? Amo, cum HVYSMANNO, optimó & doctiſſimo viro: in quem tu ipſe utrumque hunc titulum meritò confers. Amicum illum nominas? accedo: Præceptorem? ab eodem diſco. Facio ecce quæ facis.

Hoc memorabil' ſt, ego tu ſum, tu es ego, unanimi ſumus.

Sed ille cur non pro ingenio & naturâ [illegible]es Fortunamque habet?

* —ὡς ἄδικον, ὅταν ἡ μὲ φύσις
Ἀποδῷ τι σεμνὸν, τοῦτο δ' ἡ τύχη κακοῖ.

* *quàm i… quum cùm Natura qu… piam Mag… dedit: fort… autem obi… locat.*

Res & Doctrina neſcio quàm difficilè conjungantur. Fuit olim, eſt, eritque *bonæ mentis ſoror paupertas*. Feramus æquo animo: qui ſi adeſt, etiam felicitas in tenui fortunâ.

— Multa petentibus
Deſunt multa. benè eſt, cui Deus obtulit
Parcâ, quod ſatis eſt, manu.

PANEGYRICVM vulgavi, & exemplaria ad MORETVM miſſa. Nunc *pranſus paratus ſum* ad EPISTOLARVM editionem, quas ad amiculos ſparſim miſi. Salutem SACCO dixi: ille, & ego tibi. Mediolani, Kalendis Maij. ∞.IↃ CI.

EPIST. VII. *Vallem-oleti.*

IO. FERNANDÆO VELASCIO,

Comeſtabili Caſtellæ.

SCribere, ego pęnè impudentiā: ſilere tu delictū cenſeas, Excel. Princeps, & utrobiq; cauſæ ſunt.

Digitized by Google

iſt hic, mea humilitas, tua granditas: hîc, meum debitum, tuum beneficium. Cùm verò ordo Naturæ doceat, primùm qui ſimus; deinceps, quo ſtatu aut modo, conſiderare: meam potiùs humilitatem & granditatem tuam expendi, ut impunè ſilerem; quàm debitum meum tuumque beneficium, ut honeſtè ſcriberem. Scribo tamen, non ut ſilentiũ, ſed tollere delictum videar. Quid autem ipſa ſcriptio eſt? ad æqualem officium; ad majorem oſtẽtatio, ſi ultrò deferatur. Quid ſilentium? reverentia ejus, quem extra communem ſortem admiramur; contemptus ejus, quem abjectum deſpicimus. Itaq; cùm ſilere tibi Magne Princeps, ſine delicto poſſim; quoquo modo me doce, qui ſcribere ſine impudẽtiâ poſſim, ne ſileam. Vive, & PVTEANVM tuum benigno oculo reſpice. Mediolani, Poſtridie Kal. Septemb. ∞. IↃCI.

EPIST. VIII. *Venetias.*

LIVINO DE SVCCA,
THOMÆ SEGETO, *Oculiſſimis meis S.*
IOANNI COTOVICO,

CRedite: ſalutarem mihi auram litterulis veſtris, è *locis Neptuniis templisq́; turbulentis* adſpiraſtis. Æſculapij, imò Hygię loco vos ternos habeo; & ſalutem debeo, quam ad aſſem recepi. In verbis; atque adeò in verbo vim tantam eſſe? Ita dico: tria nomina, unus animus; tres amici, ſed unâ epiſtolâ conceptum votum ὑγιαίνειν, me mihi reddiderunt. Terni ad me ſcribitis, ſed ſcriptione

Digitized by Google

unus:

unus: & cum tribus ſimplex mihi honeſtaque Amicitia, tamquam cum uno. Οὐ γίγνονται γὰρ (ut Philoſophus ſcribit) φίλοι κατὰ τὴν ἐπαγγελίαν φιλίαν. αἱ δ' ὑμνούμεναι, ἐν δυσὶ λέγονται. Conſervanda verò hæc Amicitia continuo quodam nodo; & ſcribendum, ut fomento ſuo Valetudo mea conſervetur; paullo tamen ſeciùs Amicitia, quàm Valet[illegible]ſta, ut è tribus unus ſcribat: hæc ut ſinguli. E[illegible]umq; faciam, cùm alterum faciam. Scribam [illegible]ò ſingulos cùm ad unum: ſic facturus, quod ſinguli, qui ad unum me ſcribetis. Pariter valete. Mediolani, VI. Eid. Sext. ∞ IↃCI.

EPIST. IX. *Lovanium.*

IVSTO LIPSIO V. C.

Hiſtoriographo Regio.

EAmdem epiſtolam bis mitto, iiſdem verbis, eodem die: per amicum, & tabellarium ipſum. utriuſque enim occaſio fuit. Sed tu experire, uter diligentior fideliorque. Amici certè parùm tabellarij ſunt, & tabellarij parùm amici. Adoleſcens verò ille, qui tuas ultimas ad me, utriuſque officium probè functus. Ego talem non amplecterer? feci, ulnis extenſis; quia probum honeſtumque vidi, è probis honeſtiſq;. Tu illum commendas? & ipſe ſe: ego autem utrimque impellor, ut, laxatis animi mei rivis, totum me ei effundam, tuâ atque ejus cauſsâ. In hac urbe quæ viſu digna oſtendi. Patavium ſcripſi, ſcripſit & SEPTALIVS: adi-

Digitized by Google

tum ad meliores ei fecimus, ad corruptelam ob-ſtruximus: quæ nimis quidem in amœnis hiſce lo-cis patet, & cottidiè ſe dilatat. Morum quædam peſtis eſt, quæ puros incautoſq; animos obſidet fa-ciliùs & conficit: in tuto locandi ſunt, extra no-xios illos Auſtros. Vltimas meas cum SYNTA-GMATE DE DISTINCTIONIBVS velim traditas: i-tem priores illas ad PANTINVM, BERNARTIVM, ANSKEMAM. De PROMVLSIDE tranſegi: curam CLAVDIVS MARNIVS diligẽs & celeſtis Typogra-phus ſuſcepit. Jam mox videbis tuã. Tua.n.eſt, cu-jus amabile nomen præfert. Cætera mea refinge-re, & ad incudem vocare cœpi, neſcio quo jam ju-dicio ad limæ laborem pronus.

ecunda cu- quandoque ores. *Αἱ δεύτεραί πως φροντίδες σοφώτεραι.

Itaque præcipitem ſtilum tempeſtiuâ correctio-ne ſiſtam, aut tutiùs ducam, per rectam & philo-logam viam. Tu dirige mi Ductor, iuva mi Do-ctor; veliſque ſpem emendandi ſupereſſe, qui la-borem ſcribendi non damnaſti. Valetudinem tuã jam magis vacillantem firma, & Æſculapio noſtro utere, ſaltẽ per litteras. quid ſi abſens abſenti me-dicinam faciat? Feriis noſtris Autumnalibus pro-ficiſci Romam decrevi, Vrbis, Religionis, ſed & tuâ cauſsâ. In votis mihi, omnem movere lapidem, ut titulum tibi impetrem CIVIS ROMANI. Deus faveat! Magnates faveant! ego non deero. Facile, & ſimul difficile hoc negotium video. Facile, quia pro merente: difficile, quia pro abſente, iterùm di-co: non deero. Sed conatum non prædico, ut ef-fectum poſſim. Melius vale, Clariſſime vir, & PV-TEANVM tuum ama. Mediolani, Eidibus Junijs, ∞.IↃCI.

Digitized by Google

EPIST. X. *Romam.*

CAROLO LAVRINO S. D.

LItteras tuas accepi, mi LAVRINE; ſed ſine ullâ temporis notâ. An neſcis in quâ urbe ſis? Conſules ſcripſiſſes, aut ipſius urbis annos. Feſtinationis vitium eſſe dices. Itane? ipſæ litteræ negant, nimis terſæ, nimis elegantes; niſi tu quidem per ludum tam felix ſi es: tolle impetum illum, & tardiore ſtilo, mihi ſermones tuos ſculpe. Malo elaboratè, quàm feliciter te ſcribere, ut non ingenij, ſed adfectus teſtimonium exprimas. Amo ingenium; ſed magis adfectum. Itaque ſi amœna illa ſic tibi ſponte fluunt, de ſeveriore fonte lenta & acria mihi p̄cepta prome queis epiſtolã adſpergas. Nam, ut noſcas palatum meum, γλυκύπικρον amo. De inſcriptione illâ Græcâ FVLVIVM VRSINVM conſule, virum, ſi quis alius, iſtarum rerum gnarum. Litteræ, quas Antuerpiam transferendas miſeras, curatę. Sed heus tu εὐαγγέλια. Frater tuus FLORENTIVS in itinere, & jam in Alpibus. unde ſciam? è Prodromis. LIPSIVS profectionem ſuam diſtulit, & in Patriâ figit pedem. Nos, ſi Patriæ favemus, laudare conſilium debemus, deſideriumque noſtrum publicâ utilitate cohibere. Perierat ille nobis, ſi ſemel reliquiſſet dulce & natale ſolũ: nec reliquiſſet, niſi ut periret. Prudentes Principes noſtri, qui hoc viderunt, qui tenuerunt. Planè nox atra manebat Belgicam, abeũte iſto Sole; imò frigus & ſterilitas bonarum literarum. quas tu por-

Digitized by Google

tò perge colere, & in nomen venire Famamque propatrui MARCI LAVRINI. Patavij, IV. Non. Decemb. ∞.IↃ IC.

EPIST. XI. Mediolanum.

LVDOVICO SEPTALIO, V. C.

Patricio & Medico Mediolanenſi.

VT voluptates quædam fruitione incitant, nõ ſatiant: ſic ſuaviſſimæ tuę litteræ. Explere deſiderium meum binis illis affatim videbar: ſed ecce novo ardore exagitor, & reſtaurato ęſtu lectionis. Quid agas? hic eſt amoris mei morbus, quem tollere nequaquàm poteris, niſi foveas; ſed nec tollere, etſi foveas.

Non ſi denſior aridis ariſtis
Miſſa ſit ſeges illa litterarum.

Doleo meherclè & queror tam nectareum poculum tam ægrè temperari; & tam dulces litterulas tam difficili otio ſcribi. Scribe tamen; & hoc quoque negotium puta, ab amore datum. Ille ſibi, ut ſermonis partem: ſic litterarum vindicat ſemper ſollicitus. Sed præſentium honeſtum vulnus ſermone alitur; abſentes ſtilo velut miſſili telo compungendi, ut ſcriptionis lectioniſq; quodam motu animi incaleſcant. Itaque finde negotia tua, &, ſi me amas, ſcribe, ut amorem foveas: imò verò ama, ut ſcriptionem exhibeas. Vide obſecro quàm profectionis ego cupidus. vix à nupera itione reſpiravi, & nunc Euganeos montes, & balnea cogito:

Digitized by Google

chorum illum Nympharum, qui in collibus illis, vallibus, ſilvis, rivis. Quid? cogito? imò excitor, & eo. Si quis negotij quidpiam

—curari ſibi
Velit, is audacter imperato & dicito:
Sed ita, ut det unde curari id poſſit ſibi.
Nam niſi qui argentum dederit, nugas egerit;
Qui dederit, magis majores nugas egerit.

Tibi & Medicis, mi SEPTALI, loquor; qui calidas illas Lymphas colitis, & deſperata mala ad balnea ablegatis. Sed ſiſtite mihi ægrum: ducam, ubi ſine potione, ſine elleboro morbi maculas eluat. Nunc in re medica Inſcriptiunculam hãc veterem habe; imò ægroti tui habeant, ad exemplum boni voti. *Regij, ad quattuor columnas, ubi Æſculapij olim fanum.*

DEO ÆSCVLAPIO VAL. SYMPHO-
RVS ET PROTIS SIGNVM SOMNI
ÆREVM TORQVEM AVREVM EX
DRACVMCVLIS DVOBVS P f7 ::-
ENCHIRIDIVM ARGENT P::- L. A-
NABOLIVM OB INSIGNEM CIRCA
SE NVMINIS EIVS EFFECTVM. V. S.
L. M.

Lepidum (ita me Æſculapius ipſe) & è priſco more votum quattuor iſta comprehendens: *Signum Somni æreum*, *Torquem aureum*, *Enchiridium argenteum*, & *Anabolium*. De Enchiridio & Anabolio hærebam, quid ſibi vellent; imò quid ad Æſculapium facerent. dum libros inſpicio, illud ab Iſidoro animaduerto inter inſtrumenta Medicorum relatum: *Enchiridion dictum, quòd manu adſtringatur, dum plurima contineat ferramenta.* Hoc verò,

Digitized by Google

Anaboliũ, fortaſſis inter veſtimenta eſſe, & è clauſæ Antiquitatis arcâ depromendũ. Ἀναβόλαια enim antiquitùs fuére, quibus pectora & humeri protegebantur; ſed, D. Hieronymo in caput I. Eſaïę ſcribente, feminarum. Scio etiam ἀναβολάγιον, vel ἀναβολάδιον Iſidoro dictum *Amictorium lineum feminarum, quo humeri operiuntur, quod Græci & Latini Sindonem vocant.* Tu me doce, & me ama. Patavij. XIII. Kal. A[illegible] ∞. IↃ.IC.

Libellos meos Venetias ad IO. BAPT. CIOTTVM mitte, qui curam hanc ſuſcepit. HIERONYMO fratri ſalutem cum amoris fœnore rependo.

EPIST. XII. *Bellunum.*

ALOYSIO LOLLINO,

Epiſcopo Belluni.

AMpliſſime & Reverendiſſime Antiſtes, Cõditionem latam non capio: nec modeſtia tua imponet aut impediet, quin talem te colam venererque, qualem & Fama clamitat, & ipſa elegantiſſima epiſtola tua commonſtrat, planè ex aſſe doctum. O virum inter paucos! ò mei quoq; amantem inter paucos! id eſt, verè & ſine fuco amantẽ! Ego verò quid ad Amicitiam conferam? Dignitatem aut famam? at votum meum eſt, tuto & *ſecreto Lare* tegi: ingenium aut doctrinam? debilia ſunt, & ſequuntur meos annos. Hos autem ſi quæris, ex internodio pueritię ad mediam adoleſcentię gemmam jam evaſi, ſed ſatis etiam citra florem, citra

fructum,

Digitized by Google

fructum. Tu verò hac ætate Muſarum albò inſcribi me vis, & in Senatum Eruditiorum ire? Vni olim Papirio, ob ſilentij fidem, intereſſe Curiæ licuit puero adhuc prætextato: à cujus privilegio tantum abſum, ut profectò verear, ne legem Horatianam violaſſe dicar præproperâ quadam ſcriptione; nec tam facilè jus impetraturus laticlavi. Quid refert? ſine me, multiſque res litteraria ſtabit, qui nunc per ambitum nimis ſeſe miſcent. Et audes me tamen (verba tua ſunt) *vix egreſſum ex ephœbis admirari impēdio multis profuturo negotium poſteritatis agere: res ignotas, indictas alijs pari doctrinâ atq; elegantiâ complecti.* Laudes illę ſunt: ſed quę ſub pondere amoris nimiùm vacillant. Amare verò perge; ut ſic nimias illas laudes deleas. Amare perge; ſed Amoris ipſe legem accipe, quam tuliſti; *ut amicum me*, poſtquàm amicum nominas, *probũ magis quam doctum, aut eloquentem exiſtimes. in altero enim te decipiam nunquam: in altero tibi impoſturam facies me invito.* Patavij, VI. Kal. Mart. ∞. IↃC.

EPIST. XIII. Mediolanum.

MATTHÆO SANDERIO S. D.

QVod odioſum in Amore, facimus mi SANDERI, & diffidemus. Ego officij tenax, etiam ſine argumento ſcribo: tu verò, repigrato calamo, epiſtolarem materiem continuo ſilentio diſtendis; num faſcem aut ſarcinam daturus litterarum? Hac lege, ne aliter cenſeas, veniam ſcribendi feci:

Digitized by Google

ſcilicet ut ſortis moram fœnoris complemento reſarcias; quam niſi conſequor, cum diuitib. certum mihi perplexari:

Pactum, non pactum eſt: non pactum, pactum eſt. Itaque, ne litteras me dare cenſeas, adcommodo ſcribo, ut reſcribas. Occupationes opponis? oppidò novi: ego amorem meum, quem tu quoque noſti. Libripens eſto, & utrimque cauſſas penſita; hinc amorem, illinc occupationes: ni meo pōdere tuam molem ſuperem, tum me perpetuo ſilentio mulcta: ſi ſupero, juſq; faſque ſit, litterarum hunc curſum reciprocare. Vale. Patavij, III. Non. Feb. CIↃ.IↃ C.

EPIST. XIV. *Patavium.*

IO. VINCENTIO PINELLO, *Viro Perilluſtri.*

Piſcos divitiis, qui aureos montes colunt,
Ego ſolus ſupero,

Poſtquam hunc theſaurum nactus; & quia per te nactus. Quid verò excuſas? gratum, alteras Lipſianas reſignatas à te: nō gratum, alteras tantum. Ius & arbitrium in utraſque tibi erat, & prælibare debuiſti. Vti in conviviis potio à labiis amici prægustantis: ſic litteræ commendantur. Seriò loquor: unis illis vitium ætatis, à mora ferentis allatum, legendo minuiſti: alteris ſubmiſſis non legendo vitium addidiſti; etſi lepidis, venuſtis, amœnis. in quibus magni viri in me amor ſe exerit ſtili velocibus ſtricturis. Hortatur, gratulatur, philoſophatur: uno verbo, ſubvectum me rapit

Ad nationem cœli ingentes fornices.

Sed

Sed exemplar litterarum proxima ſeptimana ad te mittam: tum unà ad PIGNORIVM ſcripturus, qui tam amicè & eleganter ad me. Tu ſalue, & ille te. Mediolani, III. Nonas Januar. ∞.IↃCI.

EPIST. XV. Romam.

FLORENTIO LAVRINO S. D.

DE adventu meo dubitare te nolim. Certum, non arbitrarium eſt; & jam deſiderio conſilium eundi junxi, id eſt, deſiderium conſilio auxi. Me reſpicis? propero: te? anhelo: urbem? utrũque: quia ipſum, & in ipsâ, te videbo, & à te videbor. Sed ante Caniculam ne ſpera. Noxium viantibus ſidus eſt, & commodum aliàs hoc iter, Syrteis facit æſtuoſas. Ego autem tenerioribus herbis ſimilis, & facillimè lædor. Itaque, ſi me ſalvum vis, laxa etiam paullulùm hanc moram, ut ſub Autumnum me ad cingam. De Aretalogo illo, non miror te ſcribere: miror à tam inſulſo proflux iſſe ſalem. ſi miraculum vitare vult, eat in mare. Quid ludo? Gentis humanæ decumanum vitium, faſtus; ſed in illo plùs quàm decumanum. Obſecro, quæ iſta verba? grandia, tumida, & animi planè laborantis.

* ὦ τρισάθλιοι
Ἅπαντες, οἱ φυσῶντες ἐφ᾽ ἑαυτοῖς μέγα.
Αὐτοὶ γὰρ οὐκ ἴσασιν ἀνθρώπου φύσιν.

* O ter miſeri, Quicunq; magnificè ipſi de ſe ſentiunt. Ignorant ipſi namq; naturā hominis.

Quid enim ſumus homulli, aut ſcimus; niſi hoc unum quòd nihil ſcimus, nihil ſciamus? Sed neſcio quo opinionis vento plerique ferimur; cui, niſi

litterarum modeſtiæque velat remis renitimur, in vorticem imus omnium vitiorum. Monita hæc ſunt, quæ ad illum, apud te: cur enim apud illum? Pertuſum dolium eſt, perit quicquid infunditur, aut certè aceſcit, infecto aëre, corrupto animi odore. De distinctione Syntagma meum hîc habet, lege, cenſe, & me ama. Mediolani, VIII. Eid. Iun. ∞.IↃCI.

EPIST. XVI. Venlonano.

ANNÆ & CHRISTINÆ PUTEANIS,

Virginibus, & Sororibus meis.

Vt amor in me veſter: ſic ſcriptio eſt, meæ Sorores, potens & penetrans in ipſa animi decreta. quæ tamen cur tam blandè impugnatis? Ego Patriam, Parentes, vos amo: iſti, illis, vobis adeſſe cupio. Sed hoc ſi fata nunc impediunt, cur queramur? Impediunt autem, ut, ſedato publico illo æſtu, lætum lubentemque me Patria, Parentes, vos recipiatis. Confidite, fiet: ac jam inſperatam aliquã tranquillitatem protendunt decumani illi fluctus, qui nunc denique publica & privata omnia collidunt & abſumunt. Feramus: & vos interim hanc abſentiam meam, imo hanc ſupplete, quatenùs ad familiç & fortunarũ laborantium curam Parentes vos admittunt. Ego cenſeo; ſed à luxu, vanitate, ineptijs vos avoco, quibus noſtræ nunc virgines occupantur. Modeſtiam amate, ſimplicitatem, & caſtam puramque mentem. Sed amatis: pergite,

&

Digitized by Google

& dignum nomine ac ſtirpe exemplum urbi date, me conſpirantem, veſtrique amantem ſemper habituræ, vero & ſancto verbo Fratrem. De Avunculo noſtro CONRADO SEGERIO diu eſt quòd nihil audiam. Salveat, vir æqui & publici amantiſſimus, in nos valdè propenſus. ALEXANDRVM ſuum ſi in Italiam mittere decrevit, de bonis honeſtiſq; comitibus obſecro ei proſpiciat. MELCHIOR VELTWYCKIVS meus iter parat; quid ſi cum eo? ſanè veniat. quod reliquum eſt, ego videro. Valete. Mediolani, A.D. Kal Febr.

Illuſtriſſ. Cardinalis BORROMÆVS benignè ſalutem miſſam accepit, & copioſè Patri, Matri, vobis refundit. Sed ad illos ſeorſim hoc quoq; ſcribo.

EPIST. XVII. Mediolani.

IO. BAPT. PRATÆ,
IO. BAPT. CAIMO,
PET. ANT. CALCHO, } *Iureconſultis,*
IO. BAPT. VERTVÆ, *Medico,*
IVLIO CÆSARI VICOMERCATO,

Ex Auditoribus meis.

ITa ſcribo, & glorior, Ex AVDITORIBVS MEIS: quos ſtilo ſic junctim nunc quoque compello, privatim Amoris, & publicè Honoris quodã vinclo junctos. Date oculos paulliſper, at aures ſoletis, & pauca quædam verba illi Amori veſtro, illi Honori dicata cognoſcite, quæ in Chiromantiam

Digitized by Google

nuper inter ambulandum effudi, cùm extra portam Mercurij Circulatrix divina illum meum à ſtudijs non minus mendaci quàm importunâ divinatione volentem invaſiſſet. Tuli ægriùs, atque ut ſtultitiam adoleſcentis punirem, linguam exacui.

TVne quæſieris ſcire, nefas, quem mihi, quem tibi
Finem DI dederint, Leuconoë: nec Babylonios
Tentaris numeros, ut melius, quidquid erit, pati:
Seu plures hiemes, ſeu tribuit Iupiter ultimam.

Nam etſi (Ciceronis verba ſunt) *vetus opinio eſt, jā uſque ab Heroïcis ducta temporibus, eaq; & P. R. & omnium gentium firmata conſenſu, verſari quandam inter homines Divinationem, quam Græci μαντικὴν appellāt, id eſt, præſenſionem & ſcientiam rerum futurarum*; eam tamen qui ab Inciſuris manuum commenti, propuliſſe mihi genus humanum videntur planè ad vetitum nefas. O vanos! ò audaces! quicumque illi primi. quæro, nec invenio: rem ipſam faciliùs, cujus ab ipſâ radice originem peto, & evello. Homo ſe hominem necdum noverat, & in divinæ providentiæ arcana impetum faciens, ſe Deum cœpit profiteri: ſcire aut præſagire futura, indagare dubia, judicare omnia; in novæ artis, an impietatis dicam? ſubſidium Naturâ ipsâ advocatâ. Auſpicium enim Divinationis à Cælo ſumptum, mox Elementa, & quidquid in orbe, traxit. Cœlum & ſtellas Ἀςρολογία diſpoſuit, Aſſyrijs, Chaldæis, & deinceps Ægyptijs culta, & velut ad neceſſarias aliquas leges redacta. Elementa verò ſingula propriam Divinationis ſpeciem fecere: Terra Γεωμαντίαν, Aqua Ὑδρομαντίαν, Aër Ἀεροματ-

Digitized by Google

τείαν, Ignis Πυρομαντείαν. Reliquum genus pænè infinitum fuit, & Κατοπτρομαντεία à ſpeculo, Λεκανομαντία à pelvibus, Καπνομαντία à fumo; item Νεκρομαντία à mortuorum invocationibus, Auguria, Auſpicia, & plura. Sed nunc ad Cœlum, & Ἀστρολογίαν me refero, quæ Χειρομαντίαν produxit, velut alteram quamdã ſcientiam peritiamq; ſtellarum; *ut*, quemadmodum à Mundo, & pictâ cœli tabulâ: ſic à parvo hoc Mundo ſive Μικροκόσμῳ, quem hominẽ dicim⁹, *prædici poſſet* (Tullius ſic loquitur) *quid cuiq; eventurum, & quo quiſq; fato natus eſſet*. Nam poſtquàm liberam & infuſam hanc ab Æthere auram in anguſtias illas legeſq; cœleſtium corporum humana curioſitas & curioſa infelicitas incluſiſſer, univerſum mox Planetarũ ordinem & imaginẽ magni Templi, in hominis manus, & frontem quoq; deduxit. Sed *frontis nulla fides*: cum manu autẽ manũ conſerere, & expedire quæ ad manum rationũ arma, promptus aggredior. Promptus inquam, etſi non præmeditatus, haut aliter quàm ad claſſicum repentinũ. Nec opus, argumentorum aliquem acervum inſtruere ac vibrare: unum aut alterũ rem confecerit; ſicuti ad mortem ipſam ſatis unum aut alterum vuln⁹. Ad victoriam verò ſatis, Ἀστρολογίαν, cui innixa Χειρομαντία, cõvellere: ſed ne ludere potiùs quàm lædere videar, caput & cor ipſum peto mei hoſtis: imò priùs objectum Ariſtotelęũ quemdam umbonem removeo, ut ſine obſtaculo feriã. Lib. I. de Hiſtoriâ Animaliũ, c. xv. lego: χειρὸς δὲ τὸ μὲν ἐντὸς, θέναρ, σαρκῶδες, καὶ διηρημένον ἄρθροις: τοῖς μὲν μακροβίοις, ἐνὶ ἢ δυοῖ δι' ὅλου· τοῖς δὲ βραχυβίοις, δυοῖ, καὶ μὴ δι' ὅλου. *Interior pars man⁹, Vola eſt, carnoſa, & Inciſuris diſtincta; quæ quidem in Longævis ſingulæ aut binæ per totam volam*

Digitized by Google

eunt; in illis qui brevioris vitæ ſunt, bina, nec per tota. Ecce fundum, & fundamentum univerſæ Chiromantiæ, quo tot mendaciorum impudentiſſima ſcena ſuſtinetur. Nam Experientiæ illos tibicines ſive pilas, quibus vaniſſimi illi hominum impliciti fidunt, levi niſu collidam omnes & ſternam: imò verò ſuo nutu cadent, ſi fundamentum ſubduxero. Ariſtoteles cenſuit *longas lineas vitæ longæ, breves brevis indices ſive notas eſſe.* Vno verbulo: nego. Adſit Chiromantes, & audaciam meam puniat, ſi ratione convicerit. Adeſt, urget, ait: Corpuſculum humanum, è ſemine concretum, dum in genitali arvo vegetatur, incurvum & complicitum velut in globum Natura tenet; ſed ipſum clauſas conſtrictaſque manus; ut lineas vitæ indices quiſque ſibi ipſe, cùm ad vitam formatur, unguibus inſcribat. Quia verò à vegetiore calore validior compreſſio, & ab hac perfectiores lineæ; vitam longiorem, quę à vegetiore calore eſt, manifeſtum eſt à perfectioribus lineis ſignari. Hem! quid illud? Iam in ipſo primordio homines gallinas facis, & ſcalpere non dicam lineas, ſed vitam vis? Vide num manifeſtò tenearis? Si ab unguium compreſſione inciſuræ manus, unde illæ in plantis pedum! imò illæ in exterioribus articulis digitorum? ſi ab unguium compreſſione, cur formam unguium non referunt, interruptæ ac fiſſæ? Te ipſum conſule, brachium exſere, manum conſtringe, ungues imprime: ecce diverſa veſtigia ſunt. prius non eſſe lineas, quàm ab illa ſcalpturâ eſſe juraveris. At verò, inquies, cur clauſas embrio manus, niſi ad hanc inſcriptionem? Imò ad quidvis aliud, quàm ad hanc inſcriptionem. Sed veram, & à peritiſſimo Anato-

Digitized by Google

mico quæſitam mihi cauſſam promo. Inter omnia humani corporis membra, manus præcipuè, quā ὡς ὄργανόν τι πρὸ ὀργάνων Ariſtoteles, & poſt eum Galenus vocavit, muniri ad agendum debuit. Quippe hæc una pars eſt, quæ pacis & belli munia adminiſtrat. Homini enim Natura (Galeni verbis utar) αὐτῷ πάντων ὁμοῦ τῶν ἀμυντηρίων ὅπλων χεῖρας ἔδωκεν, ὄργανον εἰς ἁπάσας μὲν τὰς τέχνας ἀναγκαῖον, εἰρηνικὸν δ' οὐδὲν ἧττον, ἢ πολεμικόν. *Pro omnibus ſimul defenſoriis armis manus dedit, inſtrumentum ad omnes quidem artes neceſſarium; paci verò non minùs, quàm bello idoneum.* De bello, nimis cottidie notum. De pace egregiè idem Galenus. Εἰρηνικὸν δ' ὅμως καὶ πολεμικὸν ὁ ἄνθρωπος, χερσὶ καὶ νόμους ἐγράψατο, καὶ βωμοὺς, καὶ ἀγάλματα θεοῖς ἱδρύσατο, καὶ ναῦν κατεσκευάσατο, καὶ αὐλὸν, καὶ λύραν, καὶ σμίλην, καὶ πυράγραν. καὶ τ' ἄλλα πάντα τῶν τεχνῶν ὄργανα, καὶ ὑπομνήματα δ' αὐτῶν τῆς θεωρίας ἐν γράμμασιν ὑπελίπετο. καὶ ἔστι διά τε γράμματα, καὶ χεῖρας ἔτι καὶ νῦν ὑπάρχει ὁμιλεῖν Πλάτωνί τε καὶ Ἀριστοτέλει, καὶ Ἱπποκράτει, καὶ τοῖς ἄλλοις παλαιοῖς. *Pacificum verò & civile animal homo, manibus & leges ſcripſit, & aras ac ſimulacra Dijs erexit, & navem conſtruxit, & fiſtulam, & lyram, & ſcalpellum, & forcipem, & reliqua artiū inſtrumenta: commentarios item de ſpeculatione eorum ſcriptos reliquit. Liceatq; tibi litterarum & manuum beneficio colloqui cum Platone, cum Ariſtotele, cum Hippocrate, cum reliquis Antiquis.* Itaque muniri manus debuit, & cutis illa volæ ſingularis caloris beneficio exſiccari atque indureſcere: augeri autem & excreſcere calor ille non poterat, niſi conſtrictâ manu clauſus. Lineas ipſas propiùs & curioſiùs inſpicio, in alium utilemque magis uſum à Naturâ ſcriptas. Vt animæ: ſic corporis functiones diſtinctæ & variæ: una

manus ad *Apprehenſionem* facta; atqui apprehenſio difficilis atque impedita fuiſſet, ſi, ut in reliquo pænè corpore, laxa & à carne divulſa cutis. Itaque firmare eam ligaturis quibuſdam, & velut vinculis Natura voluit? vinculis autem linearum, quibus carni adſtringeret. haut aliter quā in brachio, femore, alibi, ubi libera cutis, fieri videmus. hîc enim, ſi aut vulnus caſus impreſſerit, aut hoſtis inflixerit, aut flamma inuſſerit, & cicatrix obducatur; tenditur utrinque cutis, & velut lineâ ligatur. Quid igitur mirum, variam Inciſurarum diſpoſitionem, varium numerum eſſe; cum manus ipſæ cujuſque formâ aut magnitudine, cutis craſſitie aut duritie diſcrepet? Non eaſdem ſindoni, & ſacco ſtrias impreſſeris, non eaſdem pallio & togæ. Etenim ſi ulla Divinationis ſigna Inciſuris Natura conceſſit, cur obſecro tam amplum donum, tam locuples beneficium ſolis anguſtijs manus, velut pugno, concludemus? Sola hæc pars divina eſt? Nolo antiquo apologo claſſicum canere, & bellum inter membra excitare: urgere potiùs, ut à toto corpore vaniſſimam ſuperſtitionem arceatis. Facturi, ſi è Naturæ ſecretis cauſſam hiſtoriamq; Linearum cognoſcatis. Manum, è præcepto veterum Philoſophorum, Iſidorus quaſi *totius corporis munus* definivit. *Ipſa enim*, inquit, *cibum ori miniſtrat; ipſa operatur omnia, atq; diſpenſat; per eam accipimus & damus.* Atque hoc munus flexione fit: ad flexionem Inciſuræ neceſſariæ ſunt, quas ne omnes recenſeam, primas illas ternas ac principes ſolùm inſiſto. Digitorum εὐφυΐα (ita Hippocrates nominavit) hæc eſt, ut largo intervallo Pollex ſive ἀντίχειρ Indici opponatur, & omnibus contra-

Digitized by Google

contraflectatur. ut autem articuli; ita & Inciſuræ ad flexionem hanc faciunt. An omnes? ita: maximè tamen illæ principales digitorum atque volæ. Digitos non perſequor: in vola tres eminentes. Prima ſub Auriculari oriens, in mediam volam procurrit: atque in hoc velut cardine & fundamento Auricularis atque Annularis volvuntur & hæret. Secunda ad Indicis radicem naſcens, ſub primam extenditur: quæ medium digitum & Indicem totum flectit. Tertia cum ſecunda profluens, muſculum ambit, & ad carpũ uſque porrigitur, quandoq; ſimplex, quandoq; geminata, ut Ariſtoteles diſtinxit: hæc Pollicis vertebra eſt, linea vitæ nuncupata. Quis elidat, aut infringat hanc doctrinã? Fidem nunc habe ſis, non dicã doctis, non viris, qui Chiromantiæ vanitatem excuſſerunt; ſed Mulierculis in Scytharum morem vagis, quę circumforaneam hanc ſibi vanitatem, velut artem adoptarunt. Iam in oculis verſari mihi videntur, illæ

Nugi polyloquides, argenti extenebronides,
Technipolyloquides, nummorum expalponides,
Quod ſemel arripides, nunquam poſtea eripides,

verſicolore cẽtone indutæ, luteis oculis, terreo vultu ſqualidæ, jactare expapillatũ æque brachiũ, ac artã. *Cave cave canẽ*: latrat, ſed & mordet. Ne tu Sibyllas iſtas cẽſeas, Harpyę ſunt; quę manũ tibi prẽſant, & ſtellas cœlo ductas per lineas diſponunt, ut interim manus ipſæ bulgæ injiciãt, ac pulchrè te emungant. O' doctæ, callidæq;, ad mendaciũ pariter ac furtum! Nihil tam occultum, quin revelare præſumant; nihil tam cuſtoditũ, quin ſurripere audeãt. quę ſi Divinatio eſt, clepere ꝙ alienum eſt, mentiri ꝙ futurum eſt; non pœna malitiæ, ſed prœmium

Digitized by Google

ingenio quærendum : ſi aliter, lege publica furti damnentur, & ſtigmata ejulent: mendacium verò, novâ pœnâ plectatur, ut in Sigæum eant, & ſempiternùm ſileant. Tu verò, cujus hæc cauſsâ dicta, quam dare fidem Chiromantis viſus, deinceps deme.

Non enim ſunt ij aut arte divini, aut ſcientiâ;
Sed ſuperſtitioſi vates, impudentesq́ harioli,
Aut inertes, aut inſani, aut quibus egeſtas imperat:
Qui ſui quæſtus cauſsâ fictas ſuſcitant ſententias.
Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam.
Quibus divitias pollicentur, ab his drachmam petunt.
De his divitiis ſibi deducant drachmam, reddant cætera.

EPIST. XVIII. Mediolanum.

LVDOVICO SEPTALIO V. C.

Patricio & Medico Mediolanenſi.

enim ... hi es,

AVdi mi Amice, mi Patrone, mi Pater,
—* πάντα γὸ πέλῃ εἰ σύ μοι,

& ſeriò hoc cape; meritum meum, quod tu tot beneficiorum tuorum fundamentum nominas, nullum aut debile eſſe. Juvor ac promoveor à te, quia amor: amor autem, nec cauſſam poſſum dicere, cur amer: hoc tamen poſſum, te ſine cauſsâ non amare. Nam etſi nihil ego dignum amore tuo præſto; reperis tu tamen quod ceu dignum ames. Ergò ama mi Amice, mi Patrone, mi Pater. Patavij, XIV. Kal. Martias, ∞.IↃ.IC.

Digitized by Google

EPIST XIX. *Ticinum.*

Isabellæ Andræinæ,
Academica Intenta.

Næ tu mihi animo defectum Naturæ ſupples, Andræina, virilis gloriæ non capax tantũ, ſed conſors: imò tu ſexum tuum linquens, ipſo virtutis niſu in virum te transformas. Quod ſi viro virtus dicenda, felicior tu viro, quæ mulier fructum virtutis procreas: ſi verò à virtute vir, tibi prœmium melioris nominis debetur, quæ munia melioris nominis, viri inquam, obis. vir igitur es; & vir quoque diceris, ſi Andræinæ nomen examinas. Ego quantum te laudo, tantum accuſo ignaviam noſtram, qui ne nominis quidẽ dignitatem ampliùs tuemur. Fvimvs Troes. Nunc deſciſcimus paullatim, animique neglecto cultu, ne dicam ſpreto, formę fortunæque vaniſſimis delitiis faſtum profitemur. Hæc doleo, ſed te amo, quòd dãnata nobis ſtudia & vota amas. Die Lunæ Orationem hîc publicè habiturus ſum, *De Munere meo publico*. Vtinam propitiam tuam Suadam experiar, & audacter ac feliciter dicam! utrumque ſubdifficile, ſive apud hæc ingenia, quibus difficulter ſatisfacias? ſive meâ naturâ, qui timidior, ſive verecundior ſum. Commaſculabo animum, & conabor inter paucos viri nomen retinere. Vale cum Caleno tuo, ac Antalogiſtam tuũ ſaluta. Mediolani, v. Eid. Nouemb. ∞ .ıɔ ɪɪ.

Digitized by Google

EPIST. XX. *Romam.*

SCIPIONI CAMPO V. N.

RAdius ſereni & ferwidi Amoris te calfecit, ò mi amœniſſime CAMPE, qui tam repentinâ, tamque copioſam mihi reddis ſegetem litterarum. Quid? reddis? imò verò das, benigniùs ignavum ſtili mei cultum excuſans, & ratum ſterileque ſeminium ſcriptionis. Quod à Naturâ quibuſdam terris conceſſum, ut ſuâ ſponte fruges producant: i[illegible]uo animo, ut Amicitiæ officioſa ac litteraria ſigna. Ego iſta præter ſpem pæne inſperatam vidi; & ad iſta ſimul deſiderium concepi tui reguſtandi. Itaque de itinere; certum mihi decretumque, velis remiſque ad te currere, in illum bonorum ingeniorum portum. Etiam dubitas? tuus ſum quomodocumq; venire juſſeris: ſecuturus etiam què non juſſeris. — *vel per Alpium juga,*

Inhoſpitalem & Caucaſum,

Vel Occidentis uſq; ad ultimum ſinum.

De mari falsè profectò, & tuo more, ludis: ego in mari tamen ſum, nec illis, quibus tu ſuſpicare, remoris impeditus.

Quo me cumq; rapit tempeſtas, deferor hoſpes; imò verò tempeſtatem omnem perrumpam, ut ad te, ad accenſum deſiderij tui pharum. Ergò è medijs undis aquam tibi adferam; ſed è ſalo Puteale, & arentem Amoris ignib⁹ CAMPVM largiter perfundam. Frigidam ne ſpera. ipſe enim totus à puriſſimo illo & quem tibi virtutiq; tuæ debeo affectu incalui. Breviter: CAMPVM meum amo: à Neptuno abhorreo.

Mare, ignis, tria

* Θάλασσα, καὶ πῦρ, καὶ γυνὴ, κακὰ τρία.

Digitized by Google

Venetijs, Pridie Non. Octobr. ∞.IↃC.

EPIST. XXI. *Mediolani.*

IVLIO CÆSARI RVGINELLIO I.C.

DIem tu munuſculo clauſiſti, ego ordior: accepi delitias pridie, ut poſtridie ſolverem. Lubens, lubens; quia non ſemper qui prævenit, vicit: & tu caſu dediſſe munus, ego conſulto cõſilio reddidiſſe videor: tu oris ſive palati, ego animi & pectoris quemdam ſuccum: illum fugacem & diffluentem, hunc robuſtum & æternum. Sed tuum ego in manus, & mox in os admiſi; ut tu hunc meũ in oculos, & mox in pectus. Tuum autem voco, quem, ab amico acceptum, transfudiſti: ſic meum, quem ab alieno ingenio velut flore expreſſi. Optima autem illa munera ſunt, quæ aliundè derivata, in amicum transferimus: cùm ſic ad noſtram ſignificandam, alienam quoque beneficentiam impendamus, amicitiæ quàm munerum tenaciores. Salve. v. Eid. Sext. ∞ IↃCI.

EPIST. XXII. *Vrbinum.*

FREDERICO BONAVENTVRÆ,

Viro Illuſtri.

IGnotus te cõpello, Illuſtris vir; cauſſam vis? quia amo, quia colo, iſtâ doctrinâ, in iſtâ Fortunâ clarum. Imò cauſſam vis? ne ignotus amem, ne ignotus colam. Amor autem imperfectus; cultus nullus, niſi in ſcientem; addo, niſi in volentem.

Digitized by Google

Scire igitur te utrumque illum haveo, imò velle ut ſcientem, volentemque amem, atque etiam colam: facturus tamen & hoc & illud, etſi noles. Debeo, debeo; & cauſſam dixi. Magis etiam debeo, quia magno animo, magnoque exemplo neglecta & contempta bonarum Artium ſtudia in priſtinum gradum reponis. Ego tantùm debeo! Omnes illi, qui nunc pænè ad literarum nomen cogũtur erubeſcere. qui ſi genere clari, extra cõtémptum deinceps erunt, quòd, te Myſtagogo, Muſarum ſacris operabuntur: ſi obſcuri, lucem generi dabunt; quòd ijſdem tecum ſtudiis incumbent. Ante omnes autem illos, ego dupliciter nunc tibi debeo; & quòd bonâ ſtirpe ortus dignas ſtirpe litteras videam; & quòd ſtirpem non iactans, ſtirpis gloriam in litteris inveniam. Ergo & hoc quoque nomine amo te, & colo: amare autem me profiteor, ut amorem tuum impetrem; colere, ut cultum liberè exhibeam. Vale Illuſtris vir. Mediolani, VII. Eid. Nouemb. ∞.IↃ CI.

EPIST. XXIII. *Lovanium*

IVSTO LIPSIO V. C.

Hiſtoriographo Regio.

SAtin' Eidus colo? Junijs ad te ſcripſi, & nunc Julijs caſu ſcribo; quaſi ad Lunæ curſum rerum mearum tibi menſtruum εἶδος effingens. In confinio Feriarum ſumus, & de Romano itinere cogito. Deum rogo, ut felici pede ingrediar: non certè ante præcipitẽ Æſtatem, nequid fatale mihi machi-

machinetur Caniculæ furor, & torrens illa Hora. Ferrea illa & ad Solẽ indurata corpora, tũc tamen Solem timent: quid ego, cui longus & ſonticus ille morbus robur omne attrivit? De itinere tamẽ cogito; ſed caute ſuſcipiendo. Quid enim, ſi ab ipſo motu vires recolligam, & vigorem à ſpirante aurâ.

Vidi ego iactatas motâ face creſcere flammas;
Et vidi nullo concutiente mori:

ſic vitæ hunc ignem moderatâ profectiunculâ accendi, & affectum corpuſculum depurari; contra, languere ac tabeſcere continuâ quiete. Itaque in conſilium ex amicis omnibus Medicum vocavi, SEPTALIVM noſtrum; & in conſenſum pertraxi. Tu accede, ſive Medici, ſive amici cauſsâ: ipſe ex parte futurus Medicus, ſi ſecundũ amicum judicaveris; magis amicus, ſi Medici ſententiæ ſubſcripſeris. Sed accedis, judicas, ſubſcribis: benè eſt. ego meo, tuo, SEPTALII conſilio utar, ac menſe Septembri proficiſcar. Quot urbes, quot viros videbo, nomine & Famâ illuſtres? Illud ipſum caput omnium urbium, omnium virorum. videbo? imò religioſè venerabor, & tot annorum deſiderium avidè explebo. Deus faciat: tum hoc quoq; ut pedem figere in æternis illis locis poſſim, quæ æternum aliquid donẽt. libens livori & calumniæ locum darem; nec te ò Mediolanum Doctoribus tuis inviderem. Teſtari poſſum nuſquàm ſtudia ęquè neglecta, quàm hic eſſe; ſive eorum culpâ qui docent, ſiue qui diſcunt. Ego certè attollere tuo exemplo & hortatu conatus, non minus docentium invidiam, quàm ignaviam diſcentium ſuſtinui. Vbi priſcę illę PALATINÆ, priſca ingenia, priſcus ardor? fuerunt; & dolere me hoc, nonnulli

ſunt qui dolent. Ille ante omnes, qui è cõmuni illo genere umbraticorum, publicam quoque Scholã invaſit, vacuam immunemque vocem ambitiosè locans. Indignus prœmio, dignus profeſſione viſus eſt, poſtquàm gratis operam obtruſit. Docere igitur cœpit, & annorum aliquot ſpacio impenſo, non doctrinæ, ſed temporis honorarium impetravit, ſed puſillum, & coërcendæ dumtaxat querelę. Scis autem quò nõ ſerpat inepta perſuaſio: eadem ille fronte, quâ in Scholam venit, primum quoque ELOQVENTIÆ mun' ambivit. & competitor me' factus. Repulſam tulit: *hinc illa lacrymæ.* Tu aut ride, aut ingemiſce ut frontem ferias: magis etiam alterutrum facturus, ſi Orationem hanc inſpexeris, annon cum Annalibus Voluſij habendã? Lude paullulùm hoc luto, & animi cauſſa inquinari ſuſtinę nitidas lepidaſque tuas manus. Riſus ipſe lacrymas tibi fundet, quibus abluaris. Hanc epiſtolam BILLIODVS feret, nunc adcinctus, ut equũ inſiliat ac diſcedat. Iam ipſe excitor, & exſtimulor ad profectionem; ut frenum, non librum teneam; & tremulum moveam, non ſtilum, ſed bacillum. Breviter de me, & litterarum hic ſtatu habes: copioſior ipſe lator erit, qui ſanus te ſanum videat & complectatur. Mediolani, Eidibus dictis, ∞.IↃCI.

EPIST. XXIV. *Romam.*

IOH. BAPT. HANSENIO S. D.

QVod facillimum eſt, HANSENI, facis. Quod illud? inquies. Amico injuriam, quam odio-

Digitized by Google

ta illa ſilentij exprobratione impegiſti. Scripſi ad tè & copiosè & diligenter, meliores curas ſeponens: ſcripſit, quod in gloria ponas, ipſe PINELLVS. Illas litteras perijſſe? Non tam facilè eſt, *quàm pirū volpes comeſt*; niſi tu quidem durior in nos, quàm in tabellarium ipſum: & exigere à nobis præſumis, quod apud illum negligis. Cur diſſimulas? Si reſponſum ſubterfugis? facilè veniam ſcribendi facimus: ſi protollis? excuſare moram decet, ſi non apud me, apud magnum illum virum: imò apud me, qui in litterarum Amoriſq; hoc officio magis fraudulentia, quàm negligentia offendor. Si enim negligis, ſacrum vinclum laxas; ſi fallis, ſecas & abrumpis. De Cenſorino fac ut animo tuo collibitū: ego promptos volenteſque LAVRINOS meos habeo, quia amicos; idoneos quoq; ad hanc curam, quia eruditos. Sed quænam illæ non vulgares Notæ in Bibliotheca Mureti? Harum ſaltem fac ſpecimen aliquod videamus. Claſſicum ſenſi, imò pænè tèlum, quod perduellis ille torſit. Deus bone! audax hæc calumnia, an inſania dicam?

Num larvatus eſt ille aut ceritus? fac ſciam.
Num eum veternus, aut aqua intercus tenet?

Ego valere cupiam: te quoque HANSENI. Patavij, XVI. Kal. Martias, ꝏ. IƆC.

EPIST. XXV. *Francofurtum.*

CLAVDIO MARNIO
Typographo Celeberrimo S. D.

AMicitiā, q̄ cum IO. AVBRIO in itinere Baſileenſi ante quadriennium contraxerā, ꝓferre

Digitized by Google

ad te perpetua fuit cupiditas, Celeberrime vir; & nunc tandem, non profero. deſijt enim illa, poſtquàm inter homines eſſe ille deſijt; ſed univerſam transfero, velut relictam aliquam plantam Amoris, in proximam glebam. Amoris inquam, & cum eo quidquid litterarij fructus ab ingeniolo meo hactenus natum aut conceptum, quidquid deinceps quoque naſcetur; ut tu id univerſum (ſi è re tuâ eſſe perſpexeris) typis tuis protrudas ac divulges: Typis, quos ego cum Plantinianis ſemper maximè æſtimavi, non tantùm bellos, ſed correctos, & melioribus libris ſtudijſque deſtinatos. Quod prudenter & bono Typographiæ à vobis fit. Hæc .n. niſi caſto & philologo quodã vinclo uni Phœbo velut marito conſtringatur, inficitur, inficitq;, haut aliter quàm proſtibulum, quod omnium pruritui ac libidini ſuccumbit. Nunc in Typos venit fori ſcabies, ingeniorum gangræna, Scholarũ barbaries; & venenum ſuum adſpirat. Cenſes librum aliquẽ ſani coloris poſſe eniteſcere? niſi tu & pauci graſſantem iſtam luem arceatis: arcebitis autem, ſi puros illos amœnioris Doctrinæ ac litterarum terminos non excederis. Vbi litteræ florent, etiam Typographia. hæc in Italiâ, Hiſpaniâ aliiſque locis languet, quia illæ exſtinctæ. Scilicet pars litterarum Typographia eſt, tum demùm reſtituenda, cùm illæ renaſcentur. Quando? quando? Ego intereà ad te eo, ut per te litterariæ meæ lucubratiũculæ, non vivant tantùm, ſed valeant, è noxiâ hac aurâ translatæ. Videbis, & diſpones ordine quo voles: etſi mihi placeat *Epiſtolarum primùm Librũ*, velut omnium *Promulſidem* præponi. Ego deinceps cogitationes & ſtilum intendam, ac majora,

Digitized by Google

giſque Typis veſtris digna dabo. Sic Amicitia noſtra creſcat, duret, diurnet: ſic Typographia vivat, vigeat, floreat. utraq; litterario hoc cibo nutrienda. Vale. Mediolani XIII. Kal. Martias, ∞. IↃ CI.

EPIST. XXVI. Patavium.

IVLIO CASSERIO, V. C.

Medico & Anatomico.

MAgna illa humanitas tua, Clariſſime vir, magnus affectus, quo æternum illud in me beneficium comitaris: æternum inquam, quia æternus ille liber, in quo nomen meum, velut lucentem aliquam ſtellam, ſcintillare voluiſti. Ergò

Non omnis moriar, multaque pars mei
Vitabit libitinam.

Sed beneficium inprimis dico & æſtimo, quia ab affectu venit; affectum, quia humanitate commẽdatur: ut mihi quidem extendere & continuare beneficium videare; quia hanc, & illum. Litteras ad me ultrò mittis, ad ſcribendum hortaris: id eſt, in officium meum migras, qui ipſe jam litteras tibi debebã. Sed debebã, non ſolvebã; preſſus negotiorũ quadã mole. Quid dicam? ut in urbem & munꝰ veni, dies plures officioſè & negotioſè conſumpti. Amicos ſalutavi, Larem coronaui, mox publicè Gratias Senatui dixi, & docere aggreſsꝰ ſum. utrũq; feliciter. Nunc reſpirare incipio, & quietam, aut minus impeditam ad vos mentem reflectere, imò manum; ne memoriam ſolummodo veſtri habeã, ſed habere quoq; oſtendã. Habeam mente; oſten-

Digitized by Google

dam. Habeam mente, oſtendam manu. DE VOCE & AVDITV, quia ita vis, imò quia ipſe ſic volo, ego quoque loquor, ut audiar, & famam aliquam nanciſcar à tuâ famâ, quam ſparſam jam video per cunctas omnes plagas. Mediolani, Poſtridie Eid. Decemb. ∞.IↃC.

IN IVLI CASSERI V. C.

DE VOCIS AVDITVSQ. ORGANIS LIBRVM.

CASSERI *Medicâ potens in arte*,
CASSERI *Melicâ potens in arte*;
Quantum utraq; fuit potens in arte
Ipſe quem Medici ſuum parentem,
Et ſuum Melici vocant parentem:
In AVRES *tibi dico, in* OSQVE *dico*,
Palam, ipſo in meditullio Lycei,
Palam, ipſo in meditullio theatri:
Unus tu pater ORIS; AVRIVMQVE
Per AVRES *volitas*, & ORA *vulgi*.
Namq; tu ſimul ORIS, AVRIVMQVE
Cluſos hactenus & tenebricoſos
Anfractus reſeras: ſacrumq; limen
Honoris reſeras tibi, tuiſq;.
Sic AVDIRE *juvat, juvatq;* FARI
Quàm ſumptu, ſtudio, eruditione
Et tibi benè conſulas, tuiſq;:
Quàm ſumptu, ſtudio, eruditione
Et ſeclo benè conſulas, tibiq;,
CASSERI *Medicâ potens in arte*,
CASSERI *Melicâ potens in arte*.

Digitized by Google

EPIST. XXVII. *Bruxellam.*

PETRO PANTINO, *Decano.*

PAtriam ego cogitē? illam nunc magis fluctuātem, ac pæniſſimè pereuntem? Ita, ſi decorum, cum illâ (non.n. poſſum dicere, pro illâ) fluctuare, ac perire. *Ἄπιστ' ἄπιστα, καινὰ καινὰ δέρκομαι.

Ἕτερα δ' ἀφ' ἑτέρων

Κακὰ κακῶν κυρεῖ.

Hîc autem impendens ille belli nimbus detonuit, an in vôs erupturus? Scilicet ut quædam loca dant nubes, alia recipiunt: ſic militem hæc regio, qui in Belgicā cadat. Vtinam aliter ſit! nec alieno ſanguine inteſtinum bellum alamus! Italiam Deus reſpexit, & pacem eſſe voluit jam in medijs armis. Eſſe voluit; aut potiùs trepidantem confirmavit. Vt procellæ quædam repente oriuntur, & repentè ponunt: ita Panicus ille terror. Vno verbo, ſudum eſt, & Βροντολογος ille receſſit. Quod ad Themiſtiū, opinor ipſum PINELLVM jam ſcripſiſſe. Ille verò non librum totum, ſed correctiunculas paucas expectabat excerptas ac congeſtas, paratus doctorū more ἀμείβεσθαι. Manuſcriptum quem habet, optimæ notæ eſt; è quo omnes illas Stephani lacunas quàm feliciſſimè explevi. Iam ſi numerum Orationum perſequaris; totum hîc Themiſtium habes: & tu hoc toto, ſi lubet, utere. Patrem meum Bruxellæ nuper fuiſſe intellexi, ut Diploma neſcio quod à Principibus peteret: quàm doleo non innotuiſſe tibi, cultumque filij cauſâ detuliſſet. Sed aliâs fiet hoc tamē, ſi caſus aut cauſſa eum

* Incredibilia incredibilia, nova nova tueor. Alia a alijs malis incidunt mala.

Digitized by Google

reduxerit. Virũ cognoſces probum, nec ἄμυσον, honeſti ac liberalis animi, & quem in juſtiſſimâ apud Principes petitione, velis adjutum: virum antiquæ virtutis & fidei. Litteræ Lipſianæ tam perierunt, q̃ extrema faba; niſi ꝙ redivivæ apud ſcriptorẽ bonâ ſorte, & exemplar ſubmittendũ. Triumvir ille mali rumoris ſtigmate percuſſus, Mediolanum, & amicos ſubitó reliquit. an & ſeipſe? planè, niſi malè alibi latet. SEPTALIVS & SACCVS te amant, & pariter ſalutant: & hic ante octiduum ad te litteras. Tuas ego Principi à Sacris dedi; & porrò rogo operâ meâ quàm ſæpiſſimè, & in omnibus utare. Vale Reverende vir, & me ama. Mediolani, VI Non. Maijas, ∞.IↃCI.

EPIST. XXVIII. *Mediolani.*

AQVILINO COPPINO, V. C.

In Collegio Tahegiano Profeſſori.

VErbis parco, & in ſententiam tuam de ſtilo pedibus eo; imò, ne quid mentiar, ipſo ſtilo. Appulei tamen dictionem cur omninó ſpernam? Multa in eo nitidè ornata: propriè expreſſa, egregiè explicata; & preter doctrinam curioſa fandi felicitas, in quâ (ut ſuis hominem verbis ornem) *neque Cato gravitatem requirat, neque Lælius lenitatem, neque Gracchus impetum, nec Cæſar calorem, nec Hortenſius diſtributionem, nec Calvus argutias, nec parſimoniam Salluſtius, nec opulentiam Cicero.* Apologia illa exemplo ſit, egregium & magnanimum ſcriptum: in quo, Correctionis causâ, eadem

quæ

Digitized by Google

quæ fuſiſſimè dilatavit, ſtrictiſſimè coarctata; quæ floridè protulit, àcriter concluſa repreſento. ſub finem ἀνακεφαλαίωσις iſta: *Ceterum ad hæc quæ objeciſtis innumera, binis verbis reſpondeam. Dentes ſplendidos: ignoſce munditiis. Speculum inſpicis: debet Philoſophus. Verſus facis: licet fieri. Piſces exploras: Ariſtoteles docet. Lignum conſecras: Plato ſuadet. Vxorem ducis: leges jubent. Et reliqua.* Quid brevius? quid nervoſius? imò quid lepidius? quid elegantius? Dialogiſmum componit, & binis verbis calumnias omnes retundit, illas ingenti verborum bile & copia exagitatas. Quem non capiat & vis & Venus hæc dicendi? magis etiam ſi, nævo ſublato, in priſtinum nitorem dedero periodi hujus vultũ. Facio, adjutus à manuſcripto Bembi. *Ceterum ad hæc quæ obieciſti*, NVMERA, *an binis verbis reſpondeam.* Æmilianum aduerſarium compellat, eumque audacter iubet reſponſionis verba in digitòs mittere. Quaſi diceat; imò ut ex parte dicit: crimina objecta non quidem illa *innumera* (*certus* enim *erans te accuſationem mei penuriâ criminum ſolis conviciis impleturum*) ſed illa pauca quæ ſtruxiſti, tam nihili, tam nauci ſunt; ut binis verbulis ordine ſim expuncturus. Atque hæc correctio tam manifeſta, ut clauſis vel in totũ Homericis oculis liqueat. Appuleius certe, ſi non ubique caſtus, ſi ignotas quaſdam Tullio voculas uſurpavit, unus ex multis eſt, quibus tamen ſine magno Rei litterariæ damno non careamus. Salve, & nunc mecũ ſenti in Muſæo meo, cujus jam leges ſcripſi. Veni & vide, ut ego te. iterum ſalve.

Digitized by Google

EPIST. XXIX. *Mediolanum.*

LVDOVICO SEPTALIO V. C.
Patricio & Medico Mediolanenſi.

AVidè ſorbui illud quod miſiſti ὅιον δίδυμον. Sic n. appello geminã in eadem tabellâ epiſtolã, argumento gratam, pretioſam ipſo dolore, in quo ſcripta. Sed hiſce malis obnoxij mortales ſumus, poſtquàm *Poſt ignem Ætheriâ domo*
Subductum, macies, & noua febrium
Terris incubuit cohors.

Non ad vitam; ſed ad morbum pænè naſcimur, & per omnes membrorum meatus diffuſam à Naturâ habemus vitæ pariter & morbi auram. Cur indignemur? Nimis inſoleſcat, nimis laſciviat humanum genus, niſi in vinclis iſtis & compedibus habeatur. Alium ad vim & cædem properantem imbecillitas coërcuit: alium æſtu libidinis concitatum ægritudo cohibuit: alium in fraudes & rapinas pronum morbus ſuſtinuit. ad ſummam, quiſque cùm decumbere cœpit, ſe mortalem cogitat: & in lectulo ſcelera, vota, & humana omnia damnat. Ergò utiles & neceſſarij morbi ſunt: ac ille melior, qui magis ſubjectus. Vt ſaniores è mari veniunt, qui nauſeâ gravem ſtomachum exonerant: ita è procellis hujus vitæ, qui corporis languore animi feces abluunt. Non ego tamẽ morbi felicem quemquam dixerim; ſed à morbo, ſi ad virtutem convaluit; imò à morte, ſi priùs ſcelera, quàm vitam deſeruit. Aliàs benè valere, bonum bono viro: id eſt, qui mentem habet bonam. Menandri vox eſt:

*Υ'γίεια

*Ὑγίεια καὶ νοῦς, ἐσθλὰ τῷ βίῳ δύο.

Rectè; ſed mens quoque ſana: quæ ſi laborat, ipſa vita morbus eſt. Itaque, ad felicitatem humanam,

Orandum eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano.

Vt verò mentem habeamus ſanam, & à vitijs omnibus liberã, in noſtra poteſtate eſt; ut in corpore ſano, non eſt. Illam tu habes; ut in hoc habeas æternum numen rogo. Sed quid hoc? De Munere tu meo ſcribis, de morbo ego tuo reſpondeo. Dici ſolet:

*Ἰατρὸς ἀδόλεσχος, νοσοῦντι πάλιν νόσος.

Ego verò, multiloquus tibi Medico factus, vereor ne linguæ meæ morbum intenderim: aut potiùs, quia de morbo garrivi, ne garruli medici notam ſuſtineam. Itaque breviter ad epiſtolam. Periluſtris viri FREDERICI QVINCTI ſtudiũ exoſculor: nec invitus ſuſpẽdo deſiderium meum, donec RELATIO fiat. Ad LIPSIVM ſcripſi, & rem totam expoſui: qui ſi litteris ad SACCVM juvat, rem factã puto. De Stipendio principiò velim ſcire, non quaſi id vulgi more ſpectem; ſed ut diſpungam, an ad operam tempuſque, ſumptus ſuppetant.

*Βέλτιστον, οὐ τὸ κέρδος ἐν πᾶσι σκοπεῖν.

Ego ſi ad lucrum irem, in aliam deflecterem viam, à ſtudijs & Muſis. Nũc ſcire potiùs deſidero, quàm habere; imò verò egere potiùs, quàm neſcire.

*Καὶ μὴν ἔμοιγε ζῶντι τὸ καθ' ἡμέραν,
Κ' εἰ σμικρ' ἔχοιμι, πάντ' ἂν ἀρκούντως ἔχοι.

Ecce hoc ipſum in divitijs pono, ſcire. Nam

*—— ἐὰν πλούσιος ὢν κα-
θ' ἡμέραν σκοπῇς τὸ πλεῖον, εἰς τοσοῦτον εἶ
πτωχὸς, εἰς ὅσον ἡ [illegible]ός. ὡς πένης θέλει
χρῶν, ὁ πλούσιος πλέον γ' ἔχειν, ἴσον ἔχουσιν.
Αὗται αἱ ψυχαὶ τὸ μεμψιμοιρεῖν.

Bona duo ſi... viventi M... & Sanitas.

*Medicus ... rulus, ægrota ti alter morbus.

* Optimum eſt, lucrum n... ſpectare in o... nibus.

* Atqui m... qu dem viv... in diem, et ſi pauca habe... cũcta ſuffi...

* Si opule... cottidie pl... pibias, tan... es pauper... quantum ... pervacane... pus. Qui ... per vult p... poſsidere, a... ves plus h... re, parit... rum anim... quietant...

Digitized by Google

Ego verò quietem amo, quietem ambio; & fortunam velut veſtem habeo, concinnam potiùs quàm laxam. An & orationem? Denuò exceſſi: tempero. Ad QVINCTIVM, & SACCVM hîc habes. FVLVIVS VRSINVS æternùm libros & oculos clauſit. PINELLVS neſcio quid minatur: ac verendum certè, ne ſibi ipſe fati calculum adjiciat, qui jam calculo magis magiſque cruciatur. Scis quàm periculoſum hoc in ſene, ferro, ſeu pharmaco remedium pares. Nam ut ij qui in præcipitijs ambulant, levi aliquo impulſu ruunt: ſic qui in limine, ut ſic dicam, λήθης. Longè, longè abſis! atque utinam ſemper! Fruſtrà. Hæc illa unda

—*ſcilicet omnibus,*
Quicumq; terra munere veſcimur,
Enaviganda.

Patavij, Kalendis Iulijs, ∞.IↃC. cùm amicus interveniret, qui mihi æquè ac hæres hæret. Vide ſanctum Amoris vinclum: unà Mediolanum vellet; ſed locum aut conditionem aliquam reperire, ut poſſet. Medicus eſt, ſi peritiam, ſi doctrinam ſpectas, non è multis: & mihi amicus, ſed non è multis. Si me amas, merentem promove, & inter tuos adſciſce, qui operam ſuam Noſocomio navant. Ego certè merentem tibi commendo, ideoque paucis: ſed *Teſtimonium*, & *Preces* Lipſianas adjungo, ut iſto confirmem commendationem meam, his extendam. Nam etſi omnis prolixa commendatio, quæ de merente fit: nunquam ſatis prolixa, quæ ab amante fit. Teſtimonium igitur habes, juſtum, à IVSTO, & hoc ſufficiebat; ſed in preces facilè dilabitur, qui ex fide teſtatur.

QVI-

QVICVMQVE HÆC LEGETIS,

TEſtimoniũ & preces meas hic habete. Illud, quia ſeriò & ex fide teſtari poſſum GVILIELMVM ATHENIVM *Belgam, olim Lovanij inter auditores meos fuiſſe, ingenio & moribus bonum, parentibus etiam & totâ ſtirpe honeſtis. Preces igitur adjungo, ut quoniam apud exteros nunc agit, & in Medicinâ (cui ſe dicavit) progreſſus ita fecit, ut publica judicia & titulos meruerit; peto, inquam, carus gratusq́; ſit apud eos quibus Virtus, Doctrina, & Humanitas, & (addã modeſte) quib. Lipſius etiam, cara ſunt. Equidẽ hoc beneficiũ interpretabor, & quanquã corpore abjunctus, animo jungar & adhærebo, qui ſe mihi ſic oſtenderit amicum. Lovanij,* XV. *Kal. xbres.* ∞.IↃ.XCIX.

EPIST. XXX. Patavium.

IOANNI CIVILI

Salutem nuncio,

QVam ipſe per hos dies aliquot vix habui. Scilicet ut cœlum, ſic homines ſumus; & ut illud ex intervallo nubibus obducitur & obſcuratur: ſi ipſi caligine aliquâ morbi. Sed ego nunc diſcuſſi ægritudinem omnem, ac ſereno animo corporeque ſum. Librum habeo, & gratiam tibi, ac VERWILTIO, qui tam promptè tranſmiſiſtis. PANEGYRICVM meum legi iſthîc, & laudari libens audivi: tum hoc quoque, te expetere. Expetis enim, ut ipſe quoque legere, ac laudare poſſis. Mit-

Digitized by Google

tam, mi amice, ac permittam lectione induſtriam tuam, laudatione amorem foveas. Mediolani, IX. Kal. Mar. ∞.IↃCI.

EPIST. XXXI.

HENRICO CRANENSTENIO, *Organario Arcis Mediolanenſis S. D.*

LAudent priſcam alii, Muſicam ego noſtrã non condemno; præſertim ſi quis ritè & peritè eam tractet, & ipſe quoq; condat. Quâ gloriâ cum pauci admodũ floreant, tu inter paucos mi CRANENSTEINI,

*Seu voce * mavis acutâ,*
Seu fidibus Citharáve Phœbi.

Canis enim, ut Sirenum concordiam; pſallis, ut Arionis laudem exſtinguas: utrumque, munere & origine, non dicam honeſtâ, ſed divinâ.

* Ἐκ γὰρ Μουσάων, καὶ ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος
Ἄνδρες ἀοιδοὶ ἔασιν ἐπὶ χθόνα, καὶ κιθαρισταί.

A Muſis enim, & Sagittario Apolline ſunt Cantores in terrâ, & Citharistæ.

Ita in Theogoniâ ſuâ Heliodus. Nec Cicero ſtudium hoc divinitate ſuâ fraudavit, in Somnio Scipionis concentum cœlorum enarrans. *Illi autẽ octo curſus, in quibus eadem vis duorum, ſeptem efficiunt diſtinctos intervallis ſonos: qui numerus rerum omniũ ferè nodus eſt. Quod docti homines* NERVIS *imitati, atq;* CANTIBUS, *aperuere ſibi reditum in hunc locum* (cœlum:) *ſicuti alij, qui præſtantibus ingenijs, in vitâ humanâ, divina ſtudia coluerunt.* Propriè Muſicos *Doctos* nominat (gratulare tuo gregi) & divinorũ ſtudiorum cultoribus ſociat; ut ipſi Deo. Fuit olim hæc lus: & cur non ſit, cùm ad verum Dei cultum Muſica traducta? D. Auguſtinus ſcribit, *cantandi conſue-*

conſuetudinem approbari in Eccleſiâ ; ut per oblecta-menta aurium, infirmior animus in affectum pietatis aſſurgat. Vos igitur meditatum carmen, ac mediatum acroama Deo pangitis; homineſque, quorum jam ferocitas pectus obſedit, ad Deum tollitis; aut Deum ipſum inclinatis ad homines. Magna vis? quam nec in hortis (ſi me iſtuc ducas) nec in epulis mortuam eſſe, dicet ille, cui modò in pectore amœnioris animi ſcintilla vivit. Itaque, ut ad thema regrediar, laudēt priſcam alij, Muſicam ego novam noſtram non condemno. Noſtram? imò ne Græcam quidem, quæ pariter à priſcâ deſcivit, & novas figuras induit, ac quamdam χειρονομίαν. Specimen aliquod vis? dabo; ſed ſpecimen, ut coràm exa-muſſim. Nudam vocem (hinc enim ordiar) non litteris ſcribimus; ſed ſignis quibuſdam indicam?. hæc quæ olim, aliàs indicavi; quæ hodiè apud nos, noſti. Græci ἴσον quoddam, velut * σύστημα πάντων τῶν σημείων ſtatuunt, in quo vox quieſcat, & à quo intervalla ſua trahat: Id ἄφωνον dicunt; non quòd vocis expers, ſed quòd à nullâ voce menſuretur. *Διὰ πάσης γὰρ τῆς ἰσότητος ψάλλεται. Notant hoc modo ⌣ Quo χειρονομοῦσι? *Indice & pollice in circulum coëuntibus, caeteriſq; digitis extenſis, manũ pronam demittunt.* Voces verò *Variantes* XIV. ſunt: partim *Aſcēdentes*, partim *Deſcēdentes*, quarũ nomina, notas, geſticulationes jungo.

* *poſitio enim omnium ſignorum.*

* *Per omnem enim æqualitatem canitur.*

ASCENDENTES VIII.

Τὸ ὀλίγον — *Manum extenſam & pronam dextrorſum librant.*

Ἡ Ὀξεῖα ⁄ *Impudica & pollice extremo in oſculum junctis, reliquis rectis ſiniſtrorſum manũ deprimunt.*

Digitized by Google

Ἡ πεταστὴ ◡ *Manum extenſam reſupinant.*

Τὸ Κούφισμα ◡x *Reſupinatæ impudicum, indicem, & pollicem extremos, annulari in palmam fixo, copulant.*

Τὸ πελαστὸν ◡ɔ *Copulâ diſſolutâ manum rectam gerunt.*

Τὰ Δύο Κεντήματα ıı *Indicem, impudicum, annularem junctim pollici allidunt.*

Τὸ Κέντημα ı *Impudicum, & annularem ſimiliter pollici allidunt.*

Ἡ ὑψηλὴ L *Binis illis cum pollice junctis, indice & annulari in iotam erectis, manum ſiniſtrorsùm vertunt.*

DESCENDENTES VI.

Ὁ Ἀπόστροφος ɔ *Impudico mediam palmam fodiunt.*

Οἱ Δύο Ἀπόστροφοι οἱ σύνδεσμοι ɔɔ *Impudico & annulari pariter fodiunt.*

Ἡ Ἀπόῤῥοη s *Auriculari extenſo, cæteriſq́ digitis pollice ſtrictis, deprimunt manum, ac ſimul vertunt.*

Τὸ Κρατημοϋπόῤῥοον x⌣, *Eodem, quo in priori, geſtu utuntur.*

Τὸ ἐλαφρὸν ∩ Manum pronam per puſillum ſpatium demittunt.

Ἡ Χαμηλὴ x Demittunt per duplum. Equidem aut ſtudium, aut caſum; aut certè utrùmque cogor admirari. Notæ enim iſtæ videntur à nominibus explicatæ; geſticulationes, notis expreſſæ. Scrutare, ut conferamus: de ſignis Magnis tum quoque adjiciam. Vtraſque illas voces, *Aſcen-*

Digitized by Google

dentes atque *Deſcendentes* etiam bifariam dividunt. * Τὰ μὲ εἰσὶ Σώματα, τὰ δὲ πνεύματα. *Aſcendentium* Σώματα *iſta*: Τὸ Ὀλίγον, ἡ Ὀξεῖα, Ἡ Πεταστὴ, Τὸ Κύφισμα, Τὸ Πελαστὸν, τὰ Δύο Κεντήματα. Reliquæ duæ voces Πνεύματα ſunt: Τὸ Κέντημα, & ἡ ὑψηλή. *Deſcendentium* Σώματα iſta: Ὁ Ἀπόστροφος, & Οἱ Δύο Ἀπόστροφοι οἱ συνδεσμοί. Πνεύματα iſta: Τὸ Ἐλαφρόν, & Ἡ Χαμηλή. Nam Ἀποῤῥοὴ, & Κρατημοϋπόῤῥοον, nec Corpora, nec Spiritus ſunt; ſed gutturis dumtaxat conciſæ & amabiles flexiones, ſive minuritiones, Μέλη dicta. In his omnibus *Intervalla*, & *Regimina* conſiderāt. Intervalla ſunt, quibus à Baſi voces aut à ſe invicem diſtant. Habent autem Corpora omnia unum tantùm intervallum. E reliquis, Κέντημα, Ἀποῤῥοὴ, Κρατημοϋπόῤῥοον, Ἐλαφρὸν, duo: Ὑψηλὴ, & Χαμηλὴ, quatuor. Si hæc ita, unde tot vocum varietas & viciſſitudo, quâ cōcentus ille Græcus delectat? A *Regimine*, ſive variâ compoſitione ſignorum, quam ἀκολουθίαν τῶν σημείων rectè dixeris. Nec enim ſingula tantùm; ſed bina, terna, quaterna, aut etiam quina eunt. Comici joco, liberos ſibi quærunt. alia alia ſcandunt. Copioſa autem hæc variatio copioſam quoque vicem, & vocem facit. Et, ut ordo hic etiam ſit, ſuperiora omnia (quando ſtructim ſuſtinentur) ab inferioribus, & à baſi reguntur. Superiora autem, Aſcendentia ſunt: inferiora, Deſcendentia. Item Corpora à Spiritibus, non quando imponuntur, ſed præponuntur. Specimen habes: & irritare deſiderium tuum volui, non explere. Tuum? imò uxoris, quam ut in reliquis bonam & morigeram: ſic in Muſico hoc ſtudio æmulam habes, & ut diu habeas opto. Mediolani, ubi litteræ pænè omnes intermortuæ; ſed

* *Alia quidem ſunt Corpora, alia vero Spiritus.*

Digitized by Google

— mores mali,
Quaſi herba irrigua, ſuccreverunt uberrimè.

EPIST. XXXII. *Lugdunum.*

GERARDO CANTAVIO S. D.

& felix iter precor:

MAluiſſem manſionem, mi CANTAVI, quam nimis repentino conſilio ſolviſti. Avulſum te hinc doleo; magis, ſic avulſũ. Non abieras, & abijſti. Vbi amplexus? ubi oſculum? ubi vale? An etiã ſic tibi videre non abijſſe? certè non ex hoc pectore, in quo æternùm eris; ſed ex his oculis, qui nunc lacrymis amplexum, oſculum, vale flagitant: in priſtinam hilaritatem dandi, ſi in litteris quàm ſæpiſſimè te conſpiciant. Carmen tuum interni affectus vinclum æternum habeo: teque dignum, *cujus imaginem lambant Ederæ ſequaces.* Et tamen auſus limæ meæ ſubjicere? Nimis modeſtè, nimis amanter: ego minùs, ſubjici ſi patior. Quid enim? annõ recẽſendo meas ipſius laudes videbor jactitare? & tamen, quia ita vis, recenſebo. Meipſum exuã, te induam; tamquam in alienis laudibus affectũ, in proprio opere judicium interſuturus; ſi ipſe ego diligẽtiam amoris tui in me, & ſimul ſtili oſtendam. Itaque CANTAVIUM hîc me puta, in Puteanum affectu, in cenſuram judicio pronum. Etſi quid hîc cẽſebo? Ejuſmodi Carmen tuum eſt; ut ſi manum ego adhibeam, dicar cum Philematio Plautina velle ebur atramento cãdefacere, & lepidiſſimum opus

nova

nova pictura interpolare. Tu videris. Edidimus DE DISTINCTIONIBVS: ſi ſarcinulæ tuæ patientur, adiiciam exemplar. EPISTOLARVM Centuriam Francofurtum mitto, brevi, ut Typographus addixit, utinam auſpicatò! videndam. voveo, &, quod initio feci, felix tibi iter; ut firmam in Patria & quietam manſionem habeas. Lugdunum inſcripſi, quò ſarcinulæ tuæ ſubmittentur. Mediolani, Propridie Kal. Iun. ∞.IↃCI.

EPIST. XXXIII.

MELCHIORI VELTWYCKIO, Achati meo.

NEc Auguria noſti, nec Mathematicorum cælum curare ſoles: ex vultibus tamen hominũ mores colligis. Ego autẽ cur me tibi celem? *In lundum eo, & ternas ſcio*. At hoc ipſum, inquies, ſcio: illud cupio, qua pereas ſagitta.

—quidquid habes, agè
Depone tutis auribus.

Deponam, mi VELTWYCKI; quia, quæ me

—domat Venus,
Non erubeſcendis adurit
Ignibus.

Caſtus caſtè caſtã amo, nec minus pulchrã q̃ caſtã: Margaritã feminæ, ſive Vnionẽ. *Principium* (Plinio ſcribẽte) *culmenq́ omnium rerũ pretij margaritæ tenent*. Si ita: Margaritam habeo ipſius Amoris. Nam huic formæ nihil Ariadne habuit, aut Leda ſimile:

Digitized by Google

quam ſi Paris ipſe, Dearum libidinantium judex, in comparatione vidiſſet, & Helenen rejeciſſet,& Deas. Cur autem non *Vnio* in quo omnium virtutum & Gratiarum dotes uniuntur? Certè unionum (ex eodem Plinio) *Dos omnis in candore, magnitudine, orbe, lævore, pondere, haut promptis rebus; in tantum ut nulli duo reperiantur indiſcreti. unde nomen unionum Romanæ ſcilicet impoſuêre delitiæ.* Sed Margaritæ meæ dos omnis in nive corporis, modeſtiâ animi, cingulo Venerio, nitore morum, flore ętatis, *haud promptis rebus.* Atque ut uno verbo totam comprehendam, *Venerem* dixerim, hanc Margaritam,

Spumâ ortã enerem & blendenti ve- e decoram.

* ἀφρογένειάν τε θεὰν, καὶ εὐστέφανον Κυθέρειαν.

Quidni? Venus è concha nata eſt. Plautus in Rudente:

Te ex concha natam eſſe autumant, cave tu harum conchas ſpernas.

Et Margarita è conchâ, ſimili pænè origine atque geniturâ. Margarita igitur Venus. Pliniũ de Margaritis audi, & veras laudes ſub argutiis his admitte. *Origo atq; genitura conchæ, eſt haut multũ oſtrearum cochis differens. Has ubi Genitalis anni ſtimulaverit hora, pandentes ſeſe quadam oſcitatione, impleri roſcido conceptu tradunt; gravidas poſtea eniti partũq; concharũ eſſe Margaritas pro qualitate roris accepti: ſi purus influxerit, candorem conſpici: ſi verò turbidus, & fœtum ſordeſcere: eundem pallere, cœlo minante conceptum. ex eo quippe conſtare; Cœliq; eis maiorem ſocietatem eſſe quam maris: inde nubilum trahi colorem, aut pro claritate matutinâ ſerenum.* Vides igitur amare me; & ne reprehendar dignam. Sed quòd amem, excuſandus ſum; quòd dignam etiam

Digitized by Google

etiam laudandus. An indignum moribus & ætate quidquam facio? PVTEANVS ſum: ſed ipſas aquas urere

Centum puer artium

conſuevit. Muſarum candidatus ſum: & iſtæ Amorem ſuum canunt. Paucis: à Naturâ hæc flamma eſt, quam magni & ſapientes olim viri honeſtè aluerunt: ac profectò algor, lapis, gelu eſt, qui nullo unquam motu incaluit. Hæc verò mea felicitas eſt, quod volentem amem, an dicam jam amantē? & quam tu ipſe cupias, niſi amem. Salve, & tuos mihi ignes pariter explica.

EPIST. XXXIV. Patavium.

IO. VINC. PINELLO,

Viro Periluſtri.

Omninò ſcripſi, atque copioſè. Eas litteras nō redditas, doleo; paullò pòſt reddendas tamē ſpero. Ab amico illo, cujus

—quidē edepol omnes mores ad venuſtatem valent,

cuncta impetravi; &, ut tuas inſpexerat, abjectis omnib. negotiis, reſpondit, ac apparatum illum totum frementis Martis explicuit. Sed ut chiragroſâ ſcriptione eſt, podagroſo autē gradu, ſeriùs tabellas ſuas ad me detulit: quæ tamen ſic videntur negligentiā curſoris effugiſſe, quòd remanſerint. Salvæ enim apud me fuêre, & nunc mittuntur. utinā & illæ meæ, neglectę, an Neptuniam in urbem feſtinationis delicto translatæ? Non fruſtra iſtic ma-

Digitized by Google

re eſt: ut flumina, ſic litteras noſtras haurit; benè tamen, quòd æſtum quoque habet, & refundit. E mari igitur litterulæ meæ ad te venient, an venerunt? non ſalvæ modò, ſed ſalſæ. Vale, aut convaleſce. Mediolani, VII. Eid. Maij, ∞.IↃCI.

EPIST. XXXV. Venetias.

IOANNI COTOVICO

Salutem & Amorem nuncio.

ETiam hic in ſilentio eſt, mi COTOVICE; & ſic ſiluiſſe me non nego, non amaſſe nego. Silendo etiam periculum amoris tui feci: quem, bonâ honeſtaque radice nixum & nexum, blandis litterarum delitiis altum & eductum nunc eo, ad huberem & æternum fructum. Sed tu per te quidem amorem mereris, ob divites internaſque dotes, Morum, Doctrinæ, Candoris. Quod elogium ſic verbis velox ac repentinum eſſe, ſed affectu firmum ac meditatum dices. Sermo enim mihi, ut ſpiritus eſt, quem ſi pectore comprimo, vehementiùs fundo. Animus verò liberam perpetuamque amoris auram ſpirat. Inſcriptiuncula Græca grata mehercle fuit, & fuiſſe oſtendam. Vale & ſalve, cum LIVINO ac SEGETO, ad quos ſcripſi, & PANEGYRICVM meum miſi. Mediolani, ſubitò ut tuas accepi, ∞.IↃCI.

EPIST.

Digitized by Google

EPIST. XXXVI. *Ticinum.*

HENRICO FARNESIO, V. C.

Artis Oratoriæ inibi Regio Interpreti.

MAlæ fidei videri tibi poſſim Clariſſime Vir, ſi promiſſum inſpicis: ſed, ut priſca excuſatio valeat, *jurare morbum paratus ſum:* qui ſic ex tranſverſo me invaſit & afflixit, ut ne libera quidem hęc Liberi ſacra. O' vani! quid Famam, quid breve nomen affectamus valetudinis negligentes?

* Ὑγιαίνειν μὲν ἄριστον ἀνδρὶ θνητῷ.

Et nunc tamen quia Hygia reſpexit, redire auſus ſum ad animi illum morbum, &

—noctes vigilare ſerenas.

Tu ut plurimùm valeas, minimùm ſtude. Egò tuo demùm exemplò videor poſſe emendari. Mediolani, III. Nonas Martias, ∞.IↃCII.

* *Benè valere præſtantiſsimum eſt viro mortali.*

EPIST. XXXVII. *Antuerpiam.*

GABRIELI STEYDLINO S. D.

SCriptionis, non Amoris

Nunc intervallum jam hos dies multos fuit; imò hos menſes multos. Nunc, nunc rumpendum ſtilo, ne in ſuſpicionem amor veniat. Quid igitur ſcribo? hoc ipſum, me amare: ac majori quidem flammâ, quàm à te amor. Omninò. Cùm enim æquilibriũ eſſe in Amicitiâ debet, ſive paritas; quod

Digitized by Google

tu merito excedis, ſupplere amoris ſuperpondio debeo, ne excedas. Etiam de me vis? Mediolanum ſedem retuli, à Senatu ad Primam Eloquētię Profeſſionem, honeſto auctoramēto, vocatus: nec retuliſſe pęnitet, ut nunc Patria noſtra laborat, in diſcrimine & lapſu. Deus ſaluam aliquando faciat: & me eidem reddat. Interim dum turbæ hæ gliſcunt etiam, & fervent, ſubſiſtam extra teli jactum, & latebo in his Suadæ, ut ſic dicam, caſtris. Te per Genium tuum oro, ad me fusè ſcribas, & conſtanter me ames: amare autem te intelligā, ſi ſcribas. Vale. Mediolani, Pridie Kal. Novemb. ∞. IↃCI.

Qui has tradet, deſtinare tuas ad me poterit.

EPIST. XXXVIII. Mediolanum.

LUDOVICO SEPTALIO, V. C.

Patricio & Medico Mediolanenſi.

ECce litterarum mearum, quas mala ſors perire voluit, exemplar: in quo tamen primas illas lineas non uſque adeò religiosè ſecutus, nec eodem penicillo. Verbis cur me adſtringerem? rem ipſam, & ſententiam repræſentare, abundè mihi viſum. Eos imitor, qui veſtibus dies diſtinguunt, & varietate delectantur. Animi mei imagines eodem ſermonis ornatu bis non produco in epiſtolarē illam Scenam: nec per inopiam (licet dicere) prohibemur. Itaque eadem, nec eadem leges: hæc etiam quæ adnecto. Animum * alienatum, ſive etiam exaſperatum eſſe, doleo magis quàm miror. Nam ita magni iſti ſunt,

Digitized by Google

Siquid benè facias, levior plumâ eſt gratia:
Siquid peccatum 'ſt, plumbeas iras gerunt.

O' tempora! quibus nec quæ velis ſentire, nec dicere quæ ſentias licet. PORRO QVIRITES, libertatem perdidimus! Quod ad me, & Petitionē meā, ſcio in quo curſu ſim, *& quàm omnes gratias nō modò retinendas, verùm etiam adquirendas putem.* Magno etiam Cancellario, ſicuti vadaris, in litteris me ſiſtam: ac jam quidem erat animus; differre tamen acerbus amici mei caſus coëgit, qui è Belgis, atq; noſtris recèns huc venit, ſtudiorum cauſsâ; & Patris Fratriſque repentino funere concuſſus, nūc doloris participem me habet. Quò videndi & diſcendi deſiderio imus? Circumvehimur & peregrinamur, pænè dixerim, ne extremum pietatis officium propinquis exhibeamus. Sed quid hoc ominis? erumpentem è naribus cruorem ſentio: & ecce jam ſtillas aliquot epiſtola bibit. Deſino, abluo. Vale. Patavij, Ipſis Kalendis Anni CIↃ.IↃC. quem felicem opto.

EPIST. XXXIX.

FRANCISCO TEVTONIO *ſuo.*

NEſcio profectò quis fundum tetigerit: ita turbidam aquam repperi, imò lutulentam. Tu mihi operam nunc amicabilem da, ut * ἐκ τοῦ πηλοῦ πόδας. Ebullit echinus ille, ſuperbiæ quodam vento tumidus: mihi nauſea fit. Ac jam quidem ineptiſſimo convicio me adortus, exactione percuſſit. Non ſum ex illis,

* *extra lutum pedes.*

Pellem rodere qui velint caninam.

Digitized by Google

Sed argētum ob os objiciam homini, ut vomitum hunc abſolvam. Quæſo adſis, & unà mecum Ærarios adorire. Salve.

EPIST. XL. *Patavium.*

Reverendis Viris,

MARCELLINO GENVENSI, & DOMINICO RVDOLFO S.D.

IN eadem epiſtolâ vos jungo & alloquor, Reverendi Patres, ſicuti ab eadem cauſsâ amo eruditionis, ab eadem colo pietatis. Vtinam utrobique imiter! ſed imitor, & exemplum vos ſtatuo ad utramque illam metam. Vti polliciti eſtis ſpirantem aliquam auram piis precationibus ſuffundite; ac juvate, ſic non tam facilè tranſvorsùm abripiendum, ſi remigium induſtriæ meæ acceſſerit. In ipſo Profeſſionis meæ nunc curſu ſum. Apud Senatum publicè dixi, & placui: apud juventutem deinde, & iterùm placui. Vtrumque non minus glorioſum, quàm difficile: glorioſum apud Senatum, difficile apud juventutem. glorioſum tamen apud juventutem, quia difficile; difficile etiam apud Senatũ, quia glorioſum. Valete Reverendi & Eruditi viri, quos rerum ſtudiorumque meorum arbitros & cenſores ſtatuo. Mediolani, VIII. Eid. Decemb. ∞.IↃC.

Digitized by Google

EPIST. XLI. *Piſis.*

HIERONYMO MERCVRIALI,

Medico Principi S. D.

DEnuò ſcribo mero amore impulſus, qui, dum alia officia ceſſant, exerceri ſcriptione vult, & calami hac alâ evolare. Suſcipe, amplectere, & in ſinum admitte; ut mox meipſum, qui ſequor. Decrevi enim proximo hoc Autumno Romam, Neapolim, & inde fortaſſis in Siciliam, horreum quondã P. R. ire: ut videam, diſcam, colligam. Quid videã? urbes, homines; ſed amicos, doctosque. nam ad fęcem illam & ſentinam vulgi, certum mihi oculos claudere, firmo & obſtinato planè ſenſu. Quid diſcam? Prudentiam, mores, ritus: non ineptos illos, vanos ambitioſos, quibus pulchrè ſibi πολύτροποι nõnulli vidẽtur, & *multa in communi vitâ ſcire*: ſed pbos, ſinceros, priſcos, quorum Palatini illi noſtri & delicati admodum ſteriles ſunt. Ecce, delitias faciunt, ut accipiant: nictant, nutant, oſcula ferunt, manibus ludunt: & hęc omnia ut illudant, ore geſtuq; benigni, & homines; animo vix humani. Quid colligam?

— non opimas
Sardiniæ ſegetes feracis;
Non æſtuoſæ grata Calabriæ
Armenta; non aurum, aut ebur Indicum:

ſed Eruditionem, monumenta, & libros antiquos. Simul verò & junctim videbo, diſcam, colligam

Digitized by Google

Pietatem. De PINELLI morbo an audiſti? Sonticus planè eſt, & protolli paullulùm poſſe noſtri hi Medici muſſant, non tolli. Ergò tantus vir in fatali jam lectulo cubat, & à nobis abit? Duram legem! legem tamen, & à Deo ipſo latam, quam antiquare non poſſumus, culpare non debemus. Hæc meta omnium eſt, MORI: non omnium, BEATE MORI. Ad illam cùm Natura quemque ducat, noſtrum eſt Virtutum & Pietatis ſtudio ad hanc gnaviter properare. Facio Clariſſime Vir, & exemplum tuum ſequor. Tu vive, vale; nec vitam modòproterminare multis perge, ſed bonam vitam. Patavii, III. Kal. Octobr. ∞. IϽC.

EPIST. XLII. Mediolanum.

IOH. BAPT. SACCO,

Senatus Mediolanenſi à Secretis.

TUne in animum id inducas? aut fallor, aut nimium à te amor, obnoxius etiam leviſſimis quibuſque non culpis tantùm, ſed ſuſpicionibus ipſis. Sub ipſum tandem profectionis punctiſtitiũ hoc egi, ut ſupremum à SACCO meo gradum tollerem, & ultimum ab eo Vale audirem, cui dixerã primum Salve. Fruſtrà: prodieras, & in negotiis eras. Quid igitur eſt? quod coràm nõ licuit, abſens & per epiſtolam ago: teque ſalvere jubeo, & valere.

Ego mihi alios Deos Penates perſequor, alium LAREM,

Aliam urbem, aliam civitatem.

Digitized by Google

Non quòd ab illa veſtrâ abhorream (qui poſſim? in quâ & viros amicos habeam,& doctos colam,& propitiũ boni Principis Geniũ venerer;) ſed q. aliò, præter valetudinem, aliæ cauſſæ trahant. Vos amici hoc credite; vos docti expendite; tu ò Princeps concede. Quid animi pendeo? credidiſtis, expendiſtis, cõceſſiſti: & tu cum amicis, cum doctis, cum Principe mi SACCE. Quid ſupereſt, niſi ut intelligas conſilium benè ceſſiſſe? Patavii, & apud Perillustrem IO. VINC. PINELLVM dego, quem ab humanitate, à doctrinâ, & à bibliothecâ quoque Fama tibi laudet. Pergami reges hic unus ſuperat librorum & copiâ & ſelectu. Nuſquàm eſt, quod hîc non eſt; atque adeò, hic eſt, quod nuſquam: ut ſperèm, ac confidam me poſſe animi quaſdam divitias conſtipare; in hac præſertim valetudine quâ utor, firmâ & lætâ. Hic aër, hi campi, hæc amœnitas veterem illum languorem evicerunt. An dicam etiam hoc mare? Quippini, è quo velut piſcis veni, poſtquàm Atrophiam omnem elavi. De IVSTO LIPSIO contrarius rumor, quem ſpargunt & litteræ & amici, non venire. Morbum jurare ajunt, & opponere prementem à tergo ſenectam. *Vt ætas mala, mala merx eſt ergò.* Quod ſi Senectus ipſa morbus, etiam ſine morbo, morbum rectè jurat, & excuſationem meretur. Demus mi SACCE, qui ſcimus arborem vetulam cum periculo transportari; ac deſiderium natum in abſentis nomine atque etiam imagine expleamus, animi corporiſq;. Præſentem putabimus, ſi quod in libris ejus legimus, exiſtimemus ab effigie dici. Sed tu obſecro exemplar aliquod ad πρωτότυπον tuum expreſſum communica, non modò in meum, ſed PINELLI quoq; uſum,

Digitized by Google

ſive voluptatem: quem ſcire debes alterum IOVIVM eſſe in Clarorum virorum imaginibus colligendis. Occaſionem habes novæ ſed magnæ Amicitiæ, teque & PINELLO pariter dignæ. Deſino; ſed (quod facere conſtitueram, & feci) denuò ſalvere jubeo, & valere. Patavii, XVI. Kal. Novembr. ∞.IↃC.

EPIST. XLIII. *Venetias.*

ANTONIO CLERICO S. *Dico*:

ET PINELLO tuo nomine dixeram mi ANTONI; caſſo, ut experior, voto. In eodem malo durat: hoc etiam periculoſiùs, quod confiteri malum non vult. Decubuus infirmitatis hoc onus ſuſtinet, & morbum trahit, trahendus ipſe mox non immaturo fato. Et poſt illum, librorum per tot annos conquiſita undique ſupellex.

* Δρυὸς πεσούσης πᾶς ἀνὴρ ξυλεύεται.

*uercu de- quiſq; li- ur.

Diſtrahetur inquam luculentiſſima bibliotheca, niſi in anteceſſum Dominus ipſe morbum fateatur, ac teſtamentum condat. Sed difficile, ut qui mortis omen ſanus fugit, infirmus admittat; cùm invitâ Hygiâ nunc in ipſo morbo velit videri ſanus. Ecce aquis elautus eſt, pharmacis ſubactus, doloribus conſumptus, ſolo animo PINELLVS. Et ſic nunc quoq; è lectulo ſuo audit, reſpondet, dictat; eaque omnia quæ ante morbum. Tu ſi ſalutem litteris precari vis, virum compella, ſed paucis: & ſic quoque negotium tuum breviter commenda. Eos imitare, qui Prologos in ſcena recitant; & ſcri-

Digitized by Google

ptionis tuæ cauſſam in compendium refer. Brevitate placebis: facilè autem impetrat, qui placet. Deum rogo tam magnum virum nobis & litteris ſervet: teque voti aut petitionis compotem faciat. Patavij, xv. Kal. Octobr. ∞. IↃC.

EPIST. XLIV. *Antuerpiam*

IOANNI MORETO,

Typographo.

DIu eſt quòd ad te ſcripturio, vir Celeberrime, quem diu eſt quòd amo, æſtimo celebro: & exemplum habeo quod ſequar; amandi, omnium; æſtimandi, multorum; celebrandi, magnorum. Sic igitur inter omnes, & multos, & magnos quoque unus ego: etſi minimè magnus. Sed tu eſſe patieris, qui unus triplici hoc affectu ſive munere dign⁹. PLANTINI immortalis viri Typographiæ illud regnum penes te eſt; cujus nunc etiam nomen famamque ſuſtines, imò & attollis: quibus fulcris? ijſdem illis, LABORE, & CONSTANTIA. Quid Typis veſtris correctius, nitidius, gratius? Recreor, quoties cerno; capior, quoties lego; & quẽadmodum illuſtrium pictorum imaginib. atrium: ſic tuis libris Bibliothecam meam orno. Sed laudibus abſtineo: te amo, & amari à te cupio; te æſtimo, quia amo; te celebro, quia ęſtimo; omnia, quia mereris. Miſi ad te nuper PANEGYRICI, quem edidi, exemplaria aliquot: quęſo te accepta, æſtima, divulga. ipſum pretium in libros muta, quorum indicem ſubjungo. Vale. Mediolani, A.D. Kal. Februar. ∞. IↃCI.

Digitized by Google

EPIST. XLV. *Patavium.*

ARNOLDO CATHIO S. D.

VIde quàm infauſtum iter, quod ſine te ſuſcepi. Venetiis, in ædibus SCARAMELLI, aſſervari Inſcriptiones Antiquas intellexeram, quarum cupiditas inquietum animum meũ habebat. Scis impetũ meũ: excurro, inveſtigo, & vix tandẽ ædes invenio. an & Inſcriptiones? expecta dum. Sciſcitor de Domino; ab ancillis negatur adeſſe: de Inſcriptionibus; Muſæo dicuntur incluſæ. Lepidè, inquam, nam alibi ſub Dio haberi ſolent. Quoniam urgere non licuit, illinc me proripio in phaſelum, & in hoſpitium deferor. Sed illud Homericum mente revolvens,

* Αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν, κενεόν τε νέεσθαι,

Turpe eſt & anſiſſe diu, ecuumq; reſſe.

Deliberare occipio, quib. potiſſimùm artibus clauſum Gynæceium expugnarem. Atque ò, inquam, mihi Vlyſſes aliquis, qui inſidias ſuggerat. non Trojam, nec Helenen redactum in poteſtatem meam, ſed ſolum Palladium veni. Quid igitur? ſtilum capio; non dolum, ſed epiſtolam fabrico, ut velata petitio poſſet ad dominum penetrare. Mitto, ſubſequor, & oppeſſulatam januã vocaliter pulſo. Tandem per feneſtram clatratam ab iiſdem ancillis increpor: quid moleſtus foribus ſim, non licere introire. Nec poſtulo inquio; reſponſum dumtaxat ad epiſtolam, quam miſi. Illæ: tune miſiſti? recipe, ac curſori trade, qui Neapolim deferat. Quid, Neapolim? inquio. Quia iſthic noſter nunc, cum toto Andronite, herus. Tu, etſi Achilles, à Gynæceio abſtine.

Digitized by Google

abſtine. At enim non veſtrâ, inquam, ſed lapidum cauſsâ intromitti cupio. At enim nos, inquiunt, lapides ſumus, exorari nequimus. Ego ſubjiciens, Timetis, inquam, an ridetis? Timemus, inquiunt, ab homine ignoto, & armato. Nequicquam ajo, æquè TRANQVILLVS ac placidus ſum, ac veſtrum iſtud mare, cùm malacia eſt. At ſic magis, reſpondent illæ, nunc timemus. Tum ego, Ut vos liberem, inquio, virum amicum vobis aut notum adire paratus ſum, & cum illo reverti: aliquem nominate, indicate. Indicant, conſilio prius inito; ſed quem ego per plures horas fruſtrà quæſivi, in foro Marciano, in Ponte, in tota urbe. O' callidas, calidaſque caniculas, quę non ſine cauſsâ verba ſic mihi dederunt! Suſpecta nimia illa ſollicitudo eſt: tu conjecta cæterum, & ſalve.

EPIST. XLVI. *Lovanium.*

IVSTO LIPSIO, V. C. *Hiſtoriographo Regio.*

ECce tibi à SEPTALIO litteras, quas & ipſe ſcriptione comitor, ut ſimul audiar à te, & te quoque audiam, calamo loquentem. Mellis nectariſq; profuſi liquores illinc fluũt, qui ipſo curſu ac murmure involvunt legentis animum, & à terra abripiunt, rerumque humanarum, ut ſic dicam, ripâ. Abripiunt; ut in vado ſiſtant beatæ tranquillitatis. Cogor dicere: aurea tua dogmata ſunt, quibus erudior; mira Suada, qua recreor: ut planè verborum quibuſdam blandimentis commendare ſalu-

Digitized by Google

tarium præceptorum acrimoniam videare. Ego verò, etſi non tam averſo ſtomacho ſum, ut ſevera conſilia reſpuam; lubens tamen mellitis illis verborum globulis fruor, ut ſecurior ſim. Ad vitæ genus, quò me non ducis tantùm, ſed impellis, gradum capeſſam, niſi aliter Deus: ac interim magna ducenti tibi gratia, major impellenti. Nam etſi majus beneficium videtur volentẽ ducere, quàm nolentem impellere (cùm volens ductus, & propriæ deliberationis aliquem fructum, & alieni conſilii percipiat: nolens impulſus, coactam utilitatẽ diſſimulare ſtudeat:) ego tamen malim te invitus trahentem ſequi, ne mea voluntas ſive conſenſus felicem conſilii tui ſucceſſum ipſa participatione infringat. Romanum meum iter neſcio quæ fata impediant. Iam ſarcinas componebam, iter diſpũgebam, & ecce, *ex tranſverſo* Febris me invaſit, ac biduo pænè confecit. Ignis ipſe fuit, quem ſuſtinui, eò vehementior, quia repentinus. Sed opem SEPTALIVS, Deo reſpiciente, ſalutarem tulit, & (ſuperbiùs fortaſſe dicam) vivere me voluit. O Æſculapium! cui non gallum, ſed totam debeo Hecatomben. Nunc languenti Autumnalem quoq; profectionem amici diſſuadent. Obſequor? pecco: non obſequor? etiam pecco. Si enim proficiſcor prodigum me ſalutis meæ amicis; ſi maneo, tibi fidei oſtendam, cui, & cujus cauſſa iturum me recepi. Sed ne difficilius cum multis mihi, imò præſentibus negotium ſit, manere ſatius, & ab uno reprehendi; quam proficiſci, & à multis. De morte PINELLI nuperrimè ſcripſi, ad cujus vitam condendam animum adjeci. Faciam, te auctore, * ἐκ τῶν ποδῶν ἐς τὴν κεφαλήν: ac jam quidem totiûs vitæ

* A pedibus caput

quædam

Digitized by Google

quaſi capita ac lineamenta duxi, ac heredibus miſi; uti plenam materiam ſubminiſtrent. Putavi nō invenuſtum eſſe Plutarchi exemplo παραλλήλως ſcribere, & Pinellum cum Attico comparare: ſic Cornelii Nepotis veſtigia preſſurꝰ, cui laborem meum ſubjungam. PROMVLSIS jam tandem prodiit: tu eam expecta, & tuam tibi dicatam habe. Parvum munus eſt, quod defero; ſed à propenſo hoc animo commendandum. Vale, & me (quæ votorum ſumma eſt) amare perge. Mediolani, XIII. Kalen. Octob. ∞.IↃCI.

Priuſquàm epiſtolam obſigno, prodigium adjungo. Heſternâ nocte, ipſo quaſi concubio, univerſa hæc urbs, ipſumque territorium terræmotu cum fragore concuſſum eſt. Paucæ ruinæ: ingens metus & trepidatio, ob novitatem rei ac vehemētiam. Ipſæ noctis induciæ violatæ repentè, & jura Somni rupta. Deus faxit ne quies ac tranquillitas pacatæ hujus & velut dormientis Provinciæ perturbetur.

EPIST. XLVII. Mediolanum.

GVLIELMO HVYSMANNO S.D.

IN languore ſum, aut potiùs ægritudine, mi HVYSMANNE, quam ex itinere contraxi, ęſtuoſo nimis, nimiſque pulverulento. Atque utinam ne altiores cauſlæ! & jampridem morbū collegerim, demùm erumpentem. Nam & cùm apud vos eſſem, neſcio quod faſtidium ciborum ſtomachum invaſerat, quæ imbecillitas univerſum corpus; ſed

Digitized by Google

præſentire me morbum mentis hilaritas non ſinebat. Quid enim me lætius aut effuſius, cùm inter amiculos de litteris aliquid audiam, aut ipſe promã, quod delectet? Et nunc valerem, ſi ſic diſcerẽ; aut certè minus invaletudinem ſentirem. Maximo ſciendi deſiderio flagrare me profiteor: ſcire autem non poſſum, niſi diſcam. Et neſcire me multa ſine rubore profiteor, ut diſcam. Quando autẽ opportuniùs, quàm cùm, afflicto ac proſtrato corpore, doctrinæ quibuſdam ſubſidiis erigendus animus atq; ſuſtentandus? Horsùm enim ſtudia dirigi debent, ut humana iſta omnia fortiter feramus, imò contemnamus. Ego facio, & magis nunc iſta intelligo, cum minùs valeo. Vtinam verò eo animi robore ſim, ut in hac ipſâ ægritudine me negẽ quidquam pati! Sed tu obſecro meâ ne cauſsâ cruciere, cùm alienum aut injurium nihil ſuſtineã. Hactenus firmo ſemper pectore fui; nunc paullulùm labaſco: & neſcirem pretium bonæ valetudinis, niſi periculum deguſtarem malę. Vt cæli amœnitatem tempeſtates & ira Jovis commendat: ſic corporis temperiẽ, ægritudines & morbi. Adde quod à vitiis abſterreant, ad virtutes incitẽt. *Quem.n.infirmũ* (ut Plinius meus philoſophatur) *aut avaritia aut libido ſolicitat? non amorib. ſervit, non appetit honores, opes negligit, & quantulumcunque, ut relicturus, ſatis habet: tunc Deos, tunc hominẽ eſſe ſe meminit, invidet nemini, neminem miratur, neminem deſpicit, ac ne ſermonibus quidem malignis aut attendit, aut alitur: balinea imaginatur & fontes. Hæc ſumma curarum, ſumma votorũ; mollemq; in poſterũ & pinguem, ſi contingat evadere, hoc eſt, innoxiã beatamq; deſtinat vitam.* Tu Vale tamẽ ſuaviſſime vir; ut ſanus idem facias. Gallarati, Eid. Quinct.

Digitized by Google

EPIST. XLVIII.

COENIPETÆ MEO.

NEſcio quas tu Cereales cœnas adeptus ſis. ultrò adeſſe mihi ſoles; nunc promittis, nec venis? Sacrum vadimonium eſt, cave deſeras, ullius negotii cauſsâ: ne ſomni quidem, ſi tamen ſomnus negotium eſt. Tu eſſe dices, qui in hoc æſtu ſomno labores, aut hac nocte laborioſum ſomnũ habueris, ob ſtomachi cruditatem. Ego verò excuſationẽ nullam capio: ni venis, obtorto collo rapiam, non ad judicẽ, ſed ad Regem; quem exigua mora crudeliorem faciet. Ergò veni; ſed ſi villum te occupavit, ne veni: nolo turbas in ædibus noſtris. Salve.

EPIST. XLIX. *Mediolanum.*

FRANCISCO LANDRIANO,

Senatui Mediolanenſi à Secretis.

INdignus munere & cathedrâ ſim, ſi tam propenſum in me animum tuum, quo erigor; tam promptum ſtudium, quo promoveor, ſilentio admittam: dignus notâ, ni iiſdem in petitione meâ utar. Nam, ſi admittere me diſſimulo, laborare iniquâ præſumptione videar, tamquam meruiſſem: ſi uti negligo, præpoſterâ ſuſpicione torqueri, tamquam ſincerè tu nihil obtuliſſes. Quid igitur? agnoſco beneficiũ, imò gratias ago: utor quo-

Digitized by Google

que, immo rogo, non benignâ tantùm, ſed vehementi favoris tui aurâ voti mei, ut ſic dicam, vela impleas, & in portum propellas. Vale. Patavii, XI. Kal. Sext. ∞.IↃC.

EPIST. L.

HANNIBALI BERNÆ, & LEONARDO CARDANO HIERONYMI *Pronepoti, Suis.*

BOnam indolem haut dedecet etiam importunius quærere, ſi ad diſcendi illum finẽ. Agnoſcit enim ſe neſcire, qui quærit: apertum modeſtiæ ſignum: & quærendo ſe profitetur diſcere, qui neſcit: clarum induſtriæ ſpecimen. O ſtulta juventus, quæ hoc vitium alit, ut ignorare malit, quàm interrogare! ſed profectò diſcendi voluptatẽ nondum experta: quę tanta eſt, ut, niſi fructum reſpicias, pęnè diſcere malis, quàm ſcire. At enim rei parvitas non immeritò quæſtionis audaciam retardet. Parvitas? fruſtrà: quia non rectè judicat, qui neſcit; deinde quia ſemper honeſta & opportuna quæſtio eſt, quâ diſcas. Ita hæc veſtra, mei Adoleſcentes, *de Menſium Inæqualitate*. quam ab ipſis fundamentis vobis nunc educo & explico. Romulus ingenio acri quidem, ſed agreſti, ut cum Macrobio dicam, cùm Imperii ſtatum ordinaret, & tempora diſtingueret, initium cujuſq; menſis ex illo die ſumpſit, quo novam Lunam contigerat videri. Id verò quia inæqualibus intervallis fiebat, ſingulis quibuſque menſibus

menſibus perpetuam inęqualis numeri legem primus caſus addixit: aliique xxxi. alii xxx. dies ſortiti. Diſtinctè Macrob. lib. i. Saturn. c. xii.. *Annus à Martio incipiebat, & conficiebatur diebus* ccciv. *ut ſex quidem menſes, Aprilis, Junius, Sextilis, Septẽber, November, December tricenũm eſſent dierum: quattuor vero, Martius, Majus, Quintilis, October tricenis & ſingulis expedirentur. Qui hodieq; ſeptimanas habent Nonas: cæteri Quinctanas.* Cenſorinus Aldi in hanc ſententiam emaculandus, cui in hiſce numeris non computationis geſtu injuria facta, ſed expreſſis notis inuſta. De anno Vertente: *Sed magis Junio Graccho, & Fulvio, & Varroni, & Suetonio, aliiſq; credendum eſt, qui* x: *menſium putaverũt annum fuiſſe: ut tunc Albanis erat, orti unde Romani.* xix. *menſes dies* xxxiv. *hoc modo habebant.* Et paulſò pòſt: *November & December* xxxi. Corrigo: *Ut tunc Albanis erat, orti unde Romani. Ji* x. *menſes, dies* cccıv. *hoc modo habebant.* In veteri Codice erat: *Ut tunc Albanis erat. Orti unde Romani, in* x. *menſes*, &c. Pergit Cenſorinus: *Martius* xxxi. *Aprilis* xxx. *Majus* xxxi. *Junius* xxx. *Quinctilis* xxxi. *Sextilis & September* xxx. *October* xxxi. *November & December* xxx. Male enim Aldus, xxxi. Numa deinde exactiùs Lunæ curſum diſpungens, annum ccclıv. dierũ conſtituit, prioribus trecentiſquattuor diebus quinquaginta adiiciẽs: è quibus ut duos novos menſes conſtitueret, numeri paucitas recuſavit. Itaque ut ſuppleretur hic defectus, cavis, ſive tricenariis Romuli menſibus, Aprili, Iunio, Sextili, Septembri, Novembri, Decembri dies ſingulos dempſit, & hoc auctario Lillos dies ad parem aptamque Januarii & Februa-

Digitized by Google

rii conſtitutionem auxit : ita ut uterque menſis XXVIII. dierum eſſet. Sed hoc infauſtum priſca ſuperſtitione judicâte, *Numa* (verba Macrobij ſunt) *in honorem imparis numeri, ſecretum hoc & ante Pythagoram parturiente naturâ, unum adjecit diem, quem Januario dedit, ut tam in anno quàm in menſibus ſingulis, præter unum Februarium, impar numerus ſervaretur. Nam, quia duodecim menſes, ſi ſinguli aut pari aut impari numero putarentur, conſummationem parem facerent; unus pari numero inſtitutus univerſam putationem imparem fecit.* Itaq; Martius, Pompilianâ inſtitutione, dies habebat XXXI. Aprilis XXIX. Majus XXXI. Junius XXIX. Quinctilis XXXI. Sextilis & September XXIX. October XXXI. November & December XXIX. Januarius XXIX. Februarius XXIIX. Sed vaga & incerta hæc menſium ratio, ad Julium Cæſarem manſit, qui Ægyptios ſecutus, ad curſum Solis annum aptavit, & CCCLV. diebus abſolvit. Suetonius tangit: *Annumq; ad curſum Solis adcommodavit, ut trecentorum ſexagintaquinque dierum eſſet; &, intercalario menſe ſublato, unus dies quarto quoq; anno intercalaretur.* Dies igitur decem adjecit, quos, Longævo illo ſcribente, *hac ordinatione diſtribuit. In Januarium, & Sextilem, & Decembrem binos dies inſeruit. In Aprilem autem, Junium, Septembrem ſingulos. Sed neq; menſi Februario addidit diem, ne Deo Infero religio immutaretur: & Martio, Majo, Quinctili, Octobri ſervavit priſtinum ſtatum; quòd ſatis pleno erant numero, id eſt dierum ſingulorũ tricenorumq;.* Quàm diſtributioné poſteritas amplexa, inter tot rerum omnium mutationes conſtantiſſimè tenuit & extendit: numeratque, uſu etiam noſtro, Januarius

Digitized by Google

dies xxxi Febr. xxviii. Martius xxxi. Apr. xxx. Majus xxxi. Junius xxx. Julius xxxi. Auguſtus xxxi. September xxx. October xxxi. November xxx. December xxxi. Memoriæ juvandæ in digitos tibi hos numeros mitto, ut inde quàm facillimè promas. Indicem & Medium (reliquis in iotam erectis) ad palmam incurva: menſesque ordine per digitos ita diſparatos diſtribue, initio à Martio & Pollice ſumpto. Menſes enim qui in erectos digitos cadent, tricenos & ſingulos dies; qui inflexos, tricenos; ultimus, Februarius, duodetricenos capiet. Reſpondi ad quæſitum veſtrum, Philologum, & dignum etiam altiore ætate. Tu verò perge ſępiùs ſic me interpellare, qui induſtriæ & excitato ingenio veſtro ſeriò faveo; auctorque ſum, ſejungere à vulgo ſtudia incipias: * Διὰ τῆς λεωφόρου μὴ βαδίζειν. Salvete, & ſtudete.

* *Per viam publicam non incedere.*

EPIST. LI. Patavium.

IO. VINC. PINELLO,

Viro Perilluſtri.

PArce: non deſero ſcribendi hoc officium meũ, ſed remitto. Cur autem remitto? quia ſilentium tuum ſterilem me facit. Vt ignis uberiores laceſſitus ſtricturas reddit: ſic mihi ſtilus epiſtolas. Nunc autem, quia manum à me abſtines, verbis contractior ſum: calorem ac voluntatem non minuo. Illam PIGNORII noſtri modeſtiſſimi & eruditiſſimi viri Commentatiunculam videbo &

timabor, uti rogas, poſiturus amici perſonam, arbitri ſumpturus: niſi tamen hoc ipſum amici propriè, verè & ſeverè judicare De PANEGYRICO meo quiſque ſecundum ſuum ſenſum. Sed hic animus meus, ſive morbus fuit preſſioribus, ut ita dicam, velis uti; nec expandere me totum ad tumidam Eloquentiæ auram. Quod fortaſſis faciam, ſi altiùs provectus fuero, & in apertũ mare. Vale Perilluſtris Vir, & immortalitatẽ habe. Mediolani, v. Kal. April. ∞.IↃCI.

EPIST. LII. *Florentiam.*

GVLIELMO ATHENIO, *meo.*

MEus certè eris,

Dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos reget artus:

Sed & ego tuus, ejuſdem Muſæ & Amoris nexu. cur non ejuſdem quoque contubernii & Laris? vetamur; ſed non vetamur ſcriptionis ſuaviſſimo uſu lenire abſentiæ hunc dolorem. Tuas ultimas accepi, & exſilui: legi, & deſiderium explevi. Quis ille pectoris & ſtili tui torrẽs? & ſcribere, & ſilere quoque noſti. Cùm ſiles, nimis longa ariditas eſt: cum ſcribis,

—ruunt de montibus amnes.

Ego verò fontem te malim, mi ATHENI, & perennem eſſe continuo uſu ſcriptionis. Quid autem? expectare me cœperas? Equidem anhelabam; ſed violentior vis manere juſſit, iterque ſuſpendere. Quid ago? *Θεῷ μάχεσθαι δεινόν ἐστι. A Deo enim hæc remora fuit: ut & tibi fortaſſis erit, cui jam decretum

*Deo re-
ſiſtare dirum

Digitized by Google

* —φίλους τ' ἰδέειν, καὶ ἱκέσθαι
Οἶκον ἐϋκτίμενον, καὶ σὴν ἐς πατρίδα γαῖαν.

* & amicos videre, & domum bene ſtructam, & in terram venire.

Hem! in hoc rerum omnium metu & motu? Reprime deſiderium, & conſiſte extra teli jactum, ubi nec videas, imò nec audias cruentū; & βροτολοιγὸν illum Deum. Ego in rem tuā ſeriò excubabo, ut ex animi tui ſententiâ ſit. De WOVWERO cur non monuiſti prius? peccaſti. Nunc VANDERMYLIVS mihi adeſt, hinc in Galliam profecturus, qui ſuaviter de te fabulatus. IVLI CASSERI Anatomē, & in eâ profuſum de me elogium vidi. Quia ſic amico placuit, patior, & nomen meum legi, & ſcripta quoque citari, tamquam ab alio ævo. Epiſtolarum mearū PROMVLSIS prodiit, cujus tu quoq; pars es mi ATHENI: & nunc ſtilum promoveo ad materiam aliquam magis ſeveram. Vale. Mediolani, IX. Kal. Novemb. ∞.IↃCI.

EPIST. LIII. *Mediolanum.*

LVDOVICO SEPTALIO V. C. *Patricio & Medico Mediolanenſi.*

CONſtitueram litem litterariā, quæ mihi cum viro docto, tranſmittere. Sed quia longiuſcula, tam ſubitò conſcribi non potuit: ac neſcio quomodò animus ſimul ac ſtilus per hunc æſtum languent. Nunc procraſtino, & ſimul, ſi habere ſcriptum haves, deſiderium lectionis intendo; ſi reſpuis, moleſtiam differo. Tu verò ſic litteras amas, ut habere te velle ſciā; ſic lites averſaris, ut reſpuere credam. Scribam igitur mittamque, quaſi expectas; differam, quaſi non expectes. Vale. Patavii, XIV. Kal. Septemb. ∞.IↃC.

Digitized by Google

EPIST. LIV. Venetias.

ALOYSIO GEORGIO V.C.

BOnorum damno, ac gentis totius probro peregrinantur, qui bonorum ſpecie ſubrepunt apud bonos. Sicut ille effrons, ille fugitivus, ille: ſed abſtineo. Tu quòd benè feciſti, non periit; quia Patriæ cauſsâ feciſti: ſic autem & nos Patria tibi obſtrinxit. Ille, quod accepit, ſibi rapuit; quia indignus. Itaque, cùm tot beneficia in unum collata, communia interpretemur, communi quoq; deſiderio ac ſtudio unius ἀχαριςίαν emendare parati ſumus. Nunc verò ſi quem è noſtratibus tibi animus in familiá adſciſcere, qui à ſtudiis ſit, non ſubrepentem aliquem, ſed è luce publica: hominem doctum propono, hominem clarum, hominem πολύτροπον. Hiſpaniam, Italiam, Galliam, Germaniá, Angliam luſtravit: & tot linguis tanquam vernacula ſua utitur. Muſicam non amat tantùm, ſed & tractat: ſic arma, ubi opus. Sed tam egregias dotes leve quoddam auditus vitium aliquantulùm retardavit, longæ peregrinationis incommodo contractum. Ita plerique ſunt, ut niſi muſſando intelligantur, laborem putent loqui. Hinc tot virtutes negligunt, & ſuaviſſimi ingenii uſum. Tu verò, qui cum Æſchine μεγαλοφωνότατος eſſe ſtudes, optimâ eloquentiæ laude; delectationem tuæ vocis & fructum quoque capies, ſi cum ſurdaſtro loqueris. Itaque negligamus hunc defectum, non defectum, ipſumque virum æſtimemus, non facilè iſtis numeris inveniendum.

Rari quippe boni: numero vix ſunt totidem, quot Thebarum

Digitized by Google

Thebarum porta, vel divitis oſtia Nili.
Tu ipſum vide, imò audi, ut cum Socrate videas: hominem inquam, non Fortunam; imò & Fortunam, quàm non conveniat tam benè nato, tam inſigniter docto: quem ſi Lare tuo dignum judicaveris, & ſuſceperis, denuò beneficium dabis, atque etiam accipies; uni & multis, ab vno & multis. Vale Clariſſime Vir, &, quod facis, ÆTERNITATEM COGITA. Patavii, III. Kal. Septemb. ∞. IↃC.

EPIST. LV. *Lovanium.*

PHILIPPO RVBENIO, & HVBERTO AVDEIANTIO S. D.

DOmo vos & contubernio junctos, jungere epiſtolâ quoque auſim, non amoris compendio, ſed ſcriptionis: quam vel ſic tamen ad lancem ac demenſum reddo. Facio enim quod feciſtis ſinguli, & unas ego ſcribo, ut ſcripſiſtis ſinguli; imò verò unas tantùm accepi, ad quas unis reſpondeo. Nec frontem contrahite: jam verbis facio fidem. Epiſtola argumento, non tabulâ diſtinguitur. Eadem enim epiſtola diverſis tabulis conſignata, eadem eſſe non deſinit, etiam ſæpiùs miſſa: eademq; tabula plurium epiſtolarum capax, ſi ſcriptor contraxerit. Ejuſdem autem argumenti duas à vobis tabulas accepi; unam ergò epiſtolam. quod ſive caſu factum, excuſationem habeo; ſive ſtudio, exemplum. Sed hoc lepidè: dum diſputo, qua ratione epiſtolam confecturus ſim, epiſtolam confeci. Valete. Mediolani, XIII. Kal. Octobr. ∞ IↃCI.

Digitized by Google

EPIST. LVI. *Mantuam.*

ISABELLÆ ANDREINÆ,
Academicæ Intentæ.

O Suada! ut amer, ſinam me laudari. laudare tamen faciliùs poteris, quàm amare: cùm laus ad gratiam ſæpè profecta, immerentem quoq; ornet; Amor nõ poſſit niſi è vero proficiſci. Eo te ingenio & benignitate novi, ut laudare & amare quemcumque velis: eo tamẽ judicio & prudentia, ut non niſi dignum. unde qui merebitur, hunc laudabis & amabis: qui non merebitur, hunc nõ amabis; etſi verborũ aliquo lenocinio laudabis, ne deſpicere videare. Digno igitur Laudem Amoremq; tribuas; indigno Laudem eloquio fingas, verum è pectore Amorem nunquam promas. ita faciliùs Artem, quàm Naturam ad fucum detorquemus. quòd autem laudamus, Arte fieri; quòd amamus, Naturâ, planum eſt: & ſic difficiliorem Arte Naturam eſſe; cùm laudare quemcumque Arte poſſis, amare Naturâ non poſſis, niſi pectus tibi commoveat, & de Virtutis ſuæ igni ſcintillam adſpiret. Quid igitur? facilè tu amare? faciliùs ego cenſeo laudare. At delitias etiam facis, voveſque, ut æquè Virtute ac Amore poſſis reſpondere. Reſpondes verò; niſi alio à fonte tuũ velis, alio amorẽ meum derivare. Virtutis tu me cauſsâ amas, & ego te Virtutis. parem Amorem habemus: ergò & Virtutẽ. Revoco, revoco, & diſcindo hunc ambitioſi σοφίσματος nodum. Imparem Amorem habemus, & imparem Virtutem, ego quippe Amore vinco, tu Virtute.

Digitized by Google

tute. Sic igitur triumphum hunc agamus, ego Amoris, tu Virtutis. Vale. Mediolani, Eidibus Febr. ↀ.IↃCII.

EPIST. LVII. *Patavium.*

NICOLAO FABRICIO CALASSIO.

IN Somno, imò vero SOMNIO eram, cujuſmodi? SCIPIONIS, neſcio quibus umbris circumfuſus: ſed tu me repentino verborum verbere inter ἀΰπνους retuliſti; quia GENVS DEORVM nominare auſus. St, mi FABRICI, ne me excita, jam relabentem in Somnum. Vt Di quoque dormiant; ego profectò hominem me profiteor:

* Ἀλλ' οὐ γάρ πως ἐστὶν ἀΰπνους ἔμμεναι αἰὲν
Ἀνθρώπους.

* *Sed fieri nequaquà poteſt, ut inſomnes ſemper ſint homines.*

Itaque in gratulationem parce: non me temerè in conſilia conjicio, quæ ſic antè ligant. malo te credendo, quàm me præcipitem faciendo. Poſt PROMVLSIDEM, FERCVLA SECVNDA paro: & nunc inſanum pænè molior opus, re & argumento æternum, ſi perfecero. Quid autem præſumã, aut promittam? Novi meas vires, & ancipitem hunc vitæ omnẽ ſtatum. BERNARTIVM noſtrũ (proh dolor!) quæ non cogitantem, imò conantem! ecce non cogitantem Deus evocavit. O virum! quem amavi, quem non vidi; ſed quem novi, quaſi vidiſſem. quid niſi monet, crepera & vana hæc omnia eſſe, quæ ſtilo & ingenio ſtruimus, ſtudio & labore cõgerimus ad Famam ſive pompam?

Vitæ ſumma brevis ſpem nos vetat inchoare longam.

Itaque ſecurus vivo, & dum licet animum occupo

ſcribendo & docendo, quæ ad aliorum potiùs utilitatem, quàm ad meum nomen. Occupo autem, non conſumo; & ſicuti, qui natando flumen trajiciunt, rectiùs caput non immergunt: ita ego, qui præcipitis ævi particulam, moveor, non obruor eliſâ cogitationum undâ. Semper enim aliquid molior, ut ſi quando fatalis me urna citaverit, non è vivis mortuum, id eſt otioſum, ſed ad mortuos vivum, id eſt negotioſum recipiat. Hanc beatam vitam puto; imò hunc finem beatum in omni genere vitæ, agere, ut rectè agamus. Nam qui nihil agit, in via eſt ut malè agat: & ex Ennii ſententia

Otioſo in otio animus neſcit quid velit.

Sed profectò ego in otio fuiſſe videar, qui tam lõgùm ſcribo. Vale, & aureum illud par ſalute, RICHARDOTVM & RVBENIVM. XII. Kalend. Febr. CIↃ.IↃCII.

EPIST. LVIII. Ticinum.

HENRICO FARNESIO, V.C.
Artis Oratoriæ Regio Interpreti.

ETiamnunc in auribus; imò in pectore mihi tuus ſermo, ille lepidus, ille eruditus: quo, velut gratiſſimo odore, commendatum verborum meorum halitum fundo per infectã iſtam auram. Inſecta inſector hominum, quæ alienum ſanguinẽ & Famam ſugunt, ſanguine ipſa caſſa. Quid indigneris? Vt calorem culices & muſcæ: ſic eruditionis gloriam livor & invidia ſequuntur. Ergò, ſi qui ſunt qui ſcripta & lucubrationes tuas cum ſuſurro circum-

Digitized by Google

circumvolant, cicindelæ ſunt, & riſum nobis debent, quia circumvolant. Si enim tetigerint ipſam nominis tui flammam, muteſcent ſuo malo, &, aduſtis verborum alis, cadent. Sed te quidem jam ætas & doctrina videantur majorem omni invidia feciſſe: ego in diſcrimine; quia expoſitus circumſpirantibus calumniantium flabris; quia radices nondú egi in alieno hoc ſolo. Conſiſto tamen, &, Modeſtiæ velut ſudi innités, excipio & frágo ſtultiſſimum impetum livoris. Tu lepidè, qui non Famæ tantùm, ſed familiæ quoque firmamentum vxorem ſuades. Deliberandum cenſeo, & in conſilium meos quoque vocandos, ne infauſti Hymenæi ſint. Euripides nimis verè:

* Γάμοι δ' ὅσοις μὲν εὖ καθεστᾶσι βροτῶν
Μακάριος αἰών. οἷς δὲ μὴ πίπτουσιν εὖ,
Τά τ' ἔνδον εἰσὶ, τά τε θύραζε δυστυχεῖς.

** Nuptiæ quibus mortalium benè cedunt, beata vita eſt: quibus autem non benè, illi domiforisq; miſeri ſunt.*

Vale Clariſſ. Vir, & me ama. Mediolani, Poſtridie Kal. Octobr. ∞.IϽCI.

De SEPTALIO omnia tibi promitte, viro verè & docto & humano.

EPIST. LIX. Mediolanum.

FREDERICO QVINCTIO,

Regii Fiſci Advocato.

PErilluſtris Vir, Ita Muſas amem, ut majoris calculum tuum facio, quàm munus ipſum quod ambimus. Illo enim mereri munus videar: quod (ita me Deus) reſpuam, ni videar. Quid enim hic ſpe-

ctô niſi candidum Honorem? at perit ille, niſi me-
renti conferatur. Itaque prenſent, ambiant, eman-
etiam, quibus hoc unum in votis, obtinere: mihi
hoc unum, promereri. ſic enim obtinere, non tan-
tùm glorioſum, ſed facile: utrũque tuâ operâ, qui
& judicare potes, an merear; & promovere, ſi me-
rear. Vale. Patavii, ſubitò cùm tabellarius abiret,
Kalendis ipſis Quinctilibus, ∞.IↃC.

EPIST. LX. Patavium.

GVILIELMO RICHARDOTO,
Præſidis filio.

TVne mihi moleſtus? Hem verbum, quod a-
mori meo ſiſto, ut pudefiat. Sermonẽ tuum,
& litteras pariter habeo, id eſt teipſum præſentẽ,
abſentemque. Ob ſermonem enim (ò nectareum
& amicum!) præſentem te magis amavi: ob lit-
teras (ò ſuaves doctaſque!) nunc magis abſentem.
Vtrobique certè tui ſimilis es, & Modeſtiæ quadã
ſindone decorus: quâ, tantum abeſt, ut operias
pulcherrimas animi tui dotes, ut exornes. Trans-
funditur enim heroïca illa indoles, & ſicuti à vitro
lumen colorem trahit: ſic à Modeſtiâ Virtus. Quid
ego autem te laudo, & offendo? Hortor potiùs, ut
qui es, eſſe velis, meique amans. Litteras porrò ad
perilluſtrem parentem tuum die craſtini curabo,
tamquam meas; imò quia meas. Magnus ille vir, &
labentis Patriæ unicum pænè fulcrum, conſilio,
prudentiâ, auctoritate. quem Patriæ Patrem no-
minare fas, & venerari. PIGNORIVM, priſcis mori-
bus &

Digitized by Google

>tis & doctrinâ virum, familiarẽ tibi habe, & have. Mediolani, Prid. Eid. Decemb. ∞.IↃCI.

EPIST. LXI. Aronam ad Lacum Verbanum.

FREDERICO BORROMÆO, S. R. E. *Cardinali, & Archiepiſcopo Mediolanenſi.*

ILluſtriſſ. & Reverendiſſ. Cardinalis, Raro exẽplo te orbis Chriſtianus habet, Natalibus & Virtutibus Principem; Litterarum famâ & uſu doctum. Principem inter doctos, & inter Principes doctum. Itaque ſcribere ad te, & mittere GENIALES hos SERMONES meos, velut ad Doctum auſus ſum, ut tamquã Principem revererer; imò tamquam ad Principem, ut velut Doctum mihi demererer. Ego tamen accepiſſe beneficium videbor, ſi munuſculum admiſeris: magnum, ſi tamquã Doctus: ita enim legere ipſe voles: majus, ſi tamquam Princeps, cujus exemplo legere, aut habere omnes volent. ego autem ſcripſi, ut legeretur. Vale Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Cardinalis. Mediolani, III. Eid. Febr. ∞.IↃCII.

EPIST. LXII. Venetias.

THOMÆ SEGETO, S. D.

DE lege, *uti rogas* mi SEGETE: denis ſilentiũ verſib. puniat̃. Siquis augur obnũciatur' eſt, aut *Jove tonante* dicturus, explodatur. Scribemus igitur, atq; amabimus: illud ſtudiis dignũ, hoc nobiſipſis. Mihi deinceps certum decretũq; extra meum ordinem amorẽ non mittere, & ſemel contrahere

omnes pectoris mei ſparſos variè rivos, ut in te &
paucos de meliore luto, copioſiùs derivem. In te
inquam, qui eo ingenio & eruditione es, ut Prin
ceps clueas noſtri chori. Reſcinde modò nodum
damnoſæ moræ, & ad nos tranſvola: nactus fueri
fortaſſis urbem, certè amicum ex animo tibi fa
ventem.

—unum & commune periclum,
Vna ſalus ambobus erit.

Ecce, domum & amœnam & capacem ſatis cōdu-
xi, in qua quietè hilariterque ſimus, & ab arbitri
remoti. Si non negas, utrique proſpectum eſt. In
confinio feriarum ſumus, quibus excurrere Romā
conſtitui; ſed inclinante æſtu, ut A.D. Kal. No-
vembr. Mediolanenſibus me ſiſtam. Intereà tu te
ipſum & impedimenta vince, ac veni. Poſtquàm
DESIDERIVM elicui, Orationem quoque flagi-
tare incipio, venuſtam, gravem, & quaſi à ſeculo
priſco. O te felicem! qui ſic ſcribis, & ſic dicis:
durum! qui tam inſigne ſcriptum tam pertinaciter
ſupprimis: nec jam amplius tuum, poſtquàm di-
xiſti. Pariter quæ audiuntur ac leguntur publica
ſunt: hæc à ſcribente, illa à dicente. tu ſi legi pu
blicè recuſas, quæ publicè audiri paſſus; quid ni
pænitere videaris te dixiſſe, quæ ſcripſeris. Ergo
manumitte, quæ ore ſemel miſſa; nec remoram
iniice tuæ tibi Famæ. Benignum de PANEGYRI
co meo judicium magnoperè me excitavit. Egre
gia verò illa ad te LIPSI Epiſtola eſt, & nunc ve
lut publicè miſſa, quia privatim non pervenit. Si
illa ad me cum *Teſtimonio*: ſed nunc facilè tabella
rio ignoſco aut remitto, poſtquàm debere Typo
grapho cœpi. Eià mi SEGETE, æterni ſumus. Ha
beam

Digitized by Google

beant ſibi ſuas divitias divites, ſuas voluptates juventus; non invidemus. Erimus, quando illi non erunt: erimus, quamdiu litteræ erunt, non nomine tantùm, ſed luculentâ commendatione Doctrinæ ac Virtutis. quam utramque magis magiſque amemus ac ſectemur. Sed heus tu, fidei ſacramentum jura: animi mei ſecreta ſuccutio ſub aſpectum tuũ. Satyram ſcripſi in umbraticum quemdam, cui faciliùs malè loqui, quàm benè facere. Nomen & titulum finxi: TRANQVILLI PHILOLOGI DE MONSTRO LITTERARIO SPOLIA. Si alibi umquam, hic certè ingenium intendi, ut tam inſulſum adſpergerem aliquo ſale. Tu ſalve. Mediolani, IV. Nonas Quinctileis, ∞. IↃC IX.

EPIST. LXIII.

CAROLO LAVRINO,

Suaviſſimo amico amicam S.D.

VBi es, aut lates? Cur non te habeo, ſaltem in litteris, garrientem, & ridentem? Nolim in Tragœdiâ illâ rerum publicus te dolor nimis involvat, mihique ſubtrahat. quin averte paulliſper animũ, & privata tange: quid Lovanii egeris, quid a[illegible] LIPSIVM; quo loco Schola, & veteres illi amici. Hoc quoque: quo vitæ curſum deinceps directurus ſis. In ætate agundâ plurima quæ conſideres cottidiè, quæ caveas, quæ ſecteris. Monet titulus, quo publicè donatꝰ es, ut altum, id eſt proprium ſperes; monet ingenium, monet genus. Et jam quoque liceat de vxorculâ cogitare (ſcilicet ut

Digitized by Google

minus habeas malum) quæ & ipſa juvet, & pariter ſternat aut inveniat greſſum. Si non abhorres, etiam abſens aliquam ſuggeram: ſed ſi non abhorres. Nam de ducendâ, aut non ducendâ tu tibi auctor eſſe debes: de hac aut illâ, amici conſilium admittes; niſi tamen jam Virtus & bona Juno dignam aliquam tibi conciliarint, cui animum deſpondiſti: tuo remigio rem gere. Haſce quas vides, à fratre ſunt, quem ſub primum Autumnum viſurus ego, ſi victurus. reliqua enim impedimenta omnia vici. Sed cur non & Romæ nunc tu, ut cum fratre unà te complectar? animo certè faciam, cui inſculpta imago tua, &, ut ita dicam, inuſta, amoris honeſtiſſimâ face. Sic in pectore, & in ore te continuò gero: & nonne à te geror? Hoc officium Amicitiæ eſt, amare & amari: imò hoc premium, amari, quia amas. PANEGYRICUM meum vidiſſe te opinor. Nunc DE DISTINCTIONIBUS edimus: quod utinam cum bono aliquo publico ſit! voveo: & omnia tibi fauſta. Mediolani, XVI. Kal. Jun. ∞.IↃCI.

EPIST. LXIV. Auguſtam.

MARCO VELSERO, V. A.

Reip. Auguſtanæ II. viro Præfecto.

AMpliſſime Vir, Utinam verò in imagine viverem, quam miſi; & tuum ipſius vultum coràm intuerer! Sed & hoc fiet, ſi annare modò licuerit, proximo iſto anno. Intereà umbram aliquam mei, in pignus habe, quo dictus & addictus tibi adventus

ventus meus ſit,& ipſe ſim. Videre equidem te cupio,ut videar: videri autem, ut ex ipſo vultu & oculis devotiſſimum tibi hunc animum producam. Multùm profectò humanitati tuæ debeo, quam experior: & plus debebo, quàm exſolvam: cùm tamen videre te, & à te videri geſtiam, ut exſolvam. Sed ò fruſtrà! Novum enim beneficium te vidēdo capiam, quem vidiſſe honor eſt: ego quoq; meipſum ſiſtendo minuam, qui jam abſens eruditionis aliquam opinionem ſparſi, extra meriti mei fines. Sparſi: ſed tu aliique benignâ favoris aurâ produxiſtis. Nam profectò non ſum tantus, quantus tibi videor. Vt nocturnæ faculæ è longinquo diffuſam habent flammam, coràm anguſtam: ſic ego nominis illud lumen. Ero tamen animo & affectu largus, ſi non potero effectu eruditionis. quā tanto religioſiùs in te venerabor, quanto ipſe à plenâ laude remotior ſum. Profectionem Romanam, æſtus & Caniculæ cauſsâ, paullulùm ſuſpendo; ſub præcipitem hanc Horam in viam me daturus. Bonis avibus ſit: & bono etiam Muſarum! Si deſtinationi meæ aliorum humanitas reſponderit, faxo ſteriles manus non referam. Cenſorinum inprimis elabi non patiar, quem promiſſor ille addixit neſcio, an ſubduxit. Moram mihi *moribus* planè *maritimis* injecit; ac laborantem ſcriptorem in morbo detinuit, velut medicus fraudulentus. Ipſe viderit: mihi certè viam ad honeſtā Famam non obſtruet. Inſcriptionum autem opus quā ſpe expectamus? Denuò lapides aliquot enotavi; & mittam, ſimul febriculam hanc, quâ impedior, excuſſero. Tu vale Ampliſſime Vir. Mediolani, Kalendis Sextilibus, ∞ IↃ XCI.

Digitized by Google

EPIST. LXV. *Bruxellam.*

IOANNI SEROVLSIO S.D.

DEnuò moleſtus ſum, & litteras curandas mitto. ad quem? virum mihi, & tibi quoq; amatũ, I. LIPSIVM. Itaque mitto, quia non moleſtus ſum. Tu amori meo, & ſimul tuo morem gere, ut meũ tuumque ille ſimul percipiat & componat: imò meo tuoq; morem gere, ut per te reſponſum quàprimùm nanciſcar. Vale. Mediolani, Nonis Decembr. ∞.IↃCI.

EPIST. LXVI. *Lovanium.*

IVSTO LIPSIO, V. C. *Hiſtoriographo Regio.*

O' Inſperatum RICHARDOTI, & RVBENI adventum! ſalvi ſunt, & ante octiduum hinc Patavium profecti. Me dicentem, & docentẽ publicè audiverunt: & publicè gratias illis dixi. An non debui? Audiri ab amicis, beneficium; ab eruditis honorem puto. audiunt enim, quos vel ipſe poſſim cupiamque audire. Talis uterque ille, neſcio moribꝰ modeſtiores, an litteris cultiores. Bone Deus! hoccine, in contubernio tuo eſſe! Jam à te habent, quidquid in Italia ſperent: imò habẽt, quod non ſperent.

Totum muneris hoc tui eſt,

quòd

Digitized by Google

quòd amentur, quòd laudentur, quòd colantur. Tui, quòd monſtrentur

— digito prætereuntium.

CONTVBERNALES LIPSIANI.

Hîc SEPTALIVM, SACCVM, alios viderunt, & quidquid in urbe rarum, in moribus honeſtũ. Sed hæc copioſiùs ipſi ſcribent. De me ſcire vis?

— hoc agimus, tenuiq; in pulvere ſulcos
Ducimus, & litus ſterili verſamus aratro.

Laudem tamen aliquam orando nuper adeptus, in Scholis Palatinis; multorumque ingenia videbar ad Eloquentiæ ſtudia excitaſſe, ab imagine tuâ in adverſo pariete poſitâ: quæ, velut divinam illam tuæ Suadæ auram adſpirans, dicendi audaciam dabat. Incaleſcebam ſcilicet ab igneo illo vultu, & proſilientibus ſtricturis, quas coloribus pictor miſcuerat. Tum ſtimulantes quædam voces adjuvare impetum meum videbantur, quaſi ab eadem imagine profectæ: EIA AGE, NVNC ANIMIS OPVS EST, NVNC PECTORE FIRMO. Itaq; dixi feliciter: & jam explicare SOMNIVM SCIPIONIS cœpi, quod tamquam κέρας ἀμαλθείας omnium elegantiarum copiam docenti ſuppeditat. PROMVLSIS verò utinam placeat! Tuo nomini libare eam volui, ut publico legentium ſtomacho cõciliarem. Ac nunc quidẽ, quaſi conciliaſſem, FERCVLA SECVNDA paro: quæ tamen, niſi te volente, non ponam. Cardinalis BORROMÆVS, poſt longum iter appulit ſalvus. eumdem vidi, & adfatus ſum, Principem planè & humanum & doctũ: quo magis in familiam ejus haveo adſciſci. Hîc *locus ingeniis*: hîc *vocis premium*, ut cum Juvenali

Digitized by Google

dicam: quia, qui alit bonas artes, eaſdem intelligit. Alibi magni illi plerique

Tantùm admirari, tantùm laudare diſertos,
Ut pueri Junonis avem:

honorare, promovere, longè eſt; niſi ad exemplũ hujus unius excitentur. In primo autem illo congreſſu verba paucula profudi, quæ ipſiſſima collegi, & adjungo, ut poſt epiſtolam etiã ſuperſit, quod legas. Vale Clariſſime Vir: ſed PUTEANUM tuum ama. Mediolani, Nonis Decemb. ∞ .IↃCI.

ADLOCUTIO

Ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Cardinalem BORROMÆUM

Homo, hominum more, audeo quod cupio, Illuſtriſſ. CARDINALIS, *& verecundiæ tarditatem deſiderii impetu expugnans, in amœnum & amabilem cõſpectum tuum (ô diu optatum!) penetrare auſus ſum: ſed* LIPSI *litteris, ac* SEPTALI *manibus introductus. Introduct⁹ verò, ut te unicũ Muſarũ decus viderẽ; atq; etiam, ut à te, velut à Socrate, viderer: id eſt audirer. Socrates enim (ut Appuleji verbis utar)* cùm decorum adoleſcentem, & diutulè tacentem conſpicatus foret, Ut te videam, inquit, aliquid loquere. *Ego verò nunc te video, veneror'q;*

—* *πάντων ἀριδείκετον ἀνδρῶν:*

*mnium cla-
...imum viro-
...*

gratia LIPSIO, *&* SEPTALIO *ſit. Videor etiam: gratia tibi ſit: ſed neſcio quo radio perſtringor, ac conſtringor, ut ſilentii quodam velo loquendi libertatem involvam atq; nubam. Sic igitur, intra murum candentiũ dentium compreſſã, tacentem* PUTEANUM *habes; ut lo-*

ut loquentes LIPSIVM, SEPTALIVMQ. *habeas. Tacere autem non videbor, ſi meum ſilentium aliena vocis ſuffragia ſuppleant.*

EPIST. LXVII. *Comum.*

PAVLLO FRANCISCO CIGALINO
Doctori Medico.

QVoties te, urbem, lacum cogito, mētis igneis quadrigis ad te, urbem, lacum excurro. Ad te, in quo SEPTALIVM, id eſt Humanitatem ipſam videor repperiſſe. Ad urbem, & lacum, quæ cum Plinio *meas tuasq; delitias* auſim appellare. Quę loci amœnitas, tranquillitas, commoditas! ut nec languere, nec diſtrahi, nec otiari animus poſſit. Hinc populus ille ſemper lætus, ſemper compoſitus, ſemper occupatus: ut planiſſimè innocentem ac beatam inſtituere vitam videatur. Quàm cupiā, relictâ hac hominum morumque colluvie, in illâ quandoque quiete,

—integrâ
Cum mente, nec turpem ſenectam
Degere, nec Citharâ carentem!

Nunc florem hunc ætatis in ſtudiis quidem, ſed in turbâ tamen ac tumultu conſumo. Deus faxit, ut illibatum à vitiis & ineptiis habeam, quæ vitium Famæ & annis addunt. Quorsùm autem hæc ſcribo? ut intelligas, te, urbem, lacum ſingulariter à me amari. cauſas enim dedi cur amem. Vale. Mediolani, VI. Kal. Novemb. ∞.IↃCI.

Digitized by Google

EPIST. LXVIII. *Francofurtum.*

CLAVDIO MARNIO, *Typographo celeberrimo.*

NAta Amicitia hæc eſt inter abſentes, fateor; ſed eo magis certa magisque diuturna, quia tam difficili modo tam facilè nata. Nata autem, ſive nomen ſive rem ipſam ſpectes, *HONESTA*: quæ eſt (ut Philoſophus expreſſit) * τῶν ἀγαθῶν, καὶ κατ' ἀρετὴν ὁμοίων. Talem enim te eſſe ſcio, ipſe laboro: cùm ad honeſtam copulam tu Virtutem ipſam, ego conatum conferam; qui ipſe pro Virtute eſt, certè pro laude. Quid ni ita dicam? & laudatiſſimũ deſiderium liberè profitear, ut Amicitiam merear? Ego certè quodcumq; ab amico expectare amico licet, univerſum tibi ſincero animo polliceor: ac jam lucubrationes meas omnes elegãtiſſimis tuis Typis lubens meritò addico; non tamquam beneficium dem, ſed tamquam accipiam. Magna pars libri, atque adeò Famæ, Typographus. & ut hominem de veſte vulgus cenſet: ita litteraria illa monumenta, de Typis. nec immeritò, ſi naturam dignitatemque novæ hujus artis conſideremus. Quo magis beneficium hoc ambio, ut excudere mea, quæ dixi, & quæ ſcripſi, incipias; ſic fortaſſis ab interitu vindicanda. Vale vir amice. Mediolani, Prid. Kal. Jun. ∞.IↃCI.

Digitized by Google

EPIST. LXIX. *Lutetiam.*

GVLIELMO MONTHELONIO,
Senatori Regio.

VIrtutibus magnus, & ſic Magnes, Perilluſtris Vir, ſtili mei ferrum ad te trahis, & animi frenum; ut ſcribam, ut amem. Vtrumque cum SEPTALIO doctiſſimo & humaniſſimo viro, cujus felici umbrâ circumſcriptus, ſecuram verecūdiam meam facio, ut ſcribendo amorem, & amando ſcriptionem promam: illum à calamo, hunc ab animo; quem *ſine fuco ac fallaciis, more majorum*, devotum tibi nuncio. Sed tu, ſi beare me vis, & inſigni luce perfundere, geminum ad me radium reflecte, ſcriptionis & amoris. Vale. Mediolani, Prid. Kal. Febr. ∞.IↃCII.

EPIST. LXX. *Romam.*

FLORENTIO LAVRINO *meo.*

AEgrè tibi reſponſum hoc ſolvo, mi LAVRINE, animo, manuque æger. Febricula correptum me tenet, ipſamque

—*affligit humo divina particulam auræ.*

Ab aurâ hoc malum, quæ inimica mihi, & planè iniqua craſſâ iſtâ fuligine & vapore. Purius purgatiuſque cœlum Patavinum expertus ſum: quod fata mihi videntur invidiſſe, an dicam, ipſe mihi? Ho-

Digitized by Google

nor & publicus hic titulus me traxit, cui otium, aërem, valetudinem ipſam poſtpoſui. ſcilicet, ut gloriari aliquando liceret: In literis

— & nos aliquod nomenq; decuſq;
Geſſimus.

Honeſta quidem & perantiqua hæc Eloquentiæ apud Mediolanenſes Profeſſio, & D. AVGVSTINI nomine æterna. Is enim promotum ſe ad id muneris ſcribit, poſtquàm ambiverat; & renūciaſſe poſtquàm aliquamdiu adminiſtrarat. Promotum, lib. V. Confeſſionum. *Itaq; poſteaquàm miſſum eſt à Mediolano Romam, ad Præfectum urbis, ut illi civitati Rhetoricæ Magiſter provideretur, impertitâ etiã evectione publicâ; ego ipſe ambivi, per eos ipſos Manichæis vanitatibus ebrios (quibus ut carerem ibam, ſed utrique neſciebamus;) ut dictione propoſitâ me probatum, Præfectus tunc Symmachus mitteret. Et veni Mediolanum, ad Ambroſium Epiſcopum in optimis notum orbi terræ.* Renunciaſſe verò, lib. IX. *Renunciavi, peractis Vindemialibus, ut Scholaſticis ſuis Mediolanenſes venditorem verborum alium provideret, quod & tibi ego ſervire delegiſſem, & illi Profeſſioni, præ difficultate ſpirandi, ac dolore pectoris, non ſufficerem.* Ego verò vereor, ne, ſi languor meus incrementum ab hoc morbo capiat, & ipſe renunciare Senatui cogar, alium conſtituat, aut ſubſtituat Profeſſorem. Quinquennale ſpatium accœperam: ſed ſi *major vis* curſum meum ſiſtit, extra culpam omnem ſum. Vtinam ſiſtat modò, ut reſpirem, & vires recolligam à ſonticâ quiete! Itineris votum, quod urges, irritum eſſe vides. Aliàs te videbo, ſi valebo: tu interim EPISTOLARVM PROMVLSIDEM meã, quæ Francofurti apud Wechelianos

Digitized by Google

chelianos imprimitur. In Cenſorino conferendo Argus & oculeus totus eſto, nequid ſubterfugiat: quia etiam minuta quędam ad inſignes correctiones viam aperiunt. Vale, & minùs valentem, magis ama. Mediolani, VIII. Kal. Sext. ∞.IↃCI.

EPIST. LXXI. Patavium.

PAVLLO BENIO, V. C.

& Theologo, Bonarum Litterarum Profeſſori.

MItto ad te DE DISTINCTIONIBVS Σύνταγμα, Clariſſime Vir, & judicio tuo ſubmitto; imò verò limæ: ut non examines tantùm, ſed atteras. Mitto autem per adoleſcentem hunc, quem vides, honeſtiſſimæ frontis, adſciſcendũ inter tuos quoque Auditores. Medicinæ potiſſimùm cauſſâ in Italiã venit; ſed qui cum Medicinâ bonas quoq; litteras jungit & diſcit. Sic in litteris verſatur, ne principalia ſtudia impediat; ſic in Medicinâ, ne litteras negligat. O plerique è Iuventute iſtâ facerent! minùs cruda aut crudelis Ἰατρικὴ nobis eſſet, quàm eſt. nunc autem ante florem fructum quærimus, & compendio laborum Æſculapium facimus βροτολοιγόν. Sed hæc fruſtrà ego deploro: illum etiam fruſtrà commendo, cujus indolem patefeci. Vale, & *Diſtinctiones* examina. Mediolani, XVII. Kal. Quinct. ∞.IↃCI.

EPIST. LXXII. Mediolanum.

LVDOVICO SEPTALIO, V. C.
Patricio & Medico Mediolanenſi.

SCribendi officium poſtquàm ſpiſſare ego cœpi, tu remittere: aut certè fideliore ego tabellario, quàm tu utor. Meus enim jurat ſe meas bonâ fide tradidiſſe. Tuus, ſi pariter tibi jurat, mihi perjurus eſt. Scis victitare, ac vegetari me delitiis tuæ ſcriptionis: tabeſcere ſilentii pœna, ac conſumi: ideoq; ſcribendum tibi continuò, & velut diebus ſtatis, ut ratio mutui conſtet. Sicuti comeſtiones rata ſua intervalla habent, è Medicorum præſcripto: ita Epiſtolæ, ex Amoris lege; ne ſilentium, velut abſtinẽtiam aliquam, extra terminum extendamus. Septẽ horæ prandium mihi tuum, aut cœnam digerant: ſic ſeptem dies, unam aliquam ſcriptionem. Itaq;, ſi vivere ac vigere Amicitiam noſtram vis, mutuo ac ſeptemdiali litterarum officio eã ſuſtentemus. Negotiũ petitionis noſtræ quæſo te ſinas ſua ſpõte fluere, ne ambiviſſe videamur: ita quoq;, ſi quid præter opinionem ſtatuetur, leviùs laturi. Qui meretur, modeſtè ambit: facilè autẽ obtinet, qui meretur: & qui non ambit, ſi non obtinet, nihil amittit, quantumvis mereatur. Sed nequid ego præſcribere videar, tu ad omnia te, Plautino joco, *portiſculum habe*, velut in tua navi. Nam [illegible]tremum repoſueris, & in caſteria quieſcas, omnis mihi cõſiſtit petitionis cauſa. Sed nunc ride obſecro, & licet rideas: Criticen noſtram, quaſi otioſam, ad tuos quoq; libros, id eſt Medicos, extendere auſus ſum; & in-

gentis

Digitized by Google

gentia illa Galeni volumina obſervare. In manibꝰ erat, πρὸς τοὺς περὶ τύπων γράψαντας: & mox ſub oculis Hiſtoricus iſte planè locus: Μεθεστήκει μὲν ἐξ ἀνθρώπων ἔναγχος Ἀντωνῖνος, ὁ μετ᾽ Ἀδριανὸν γενόμενος αὐτοκράτωρ. Ἦρχεν δὲ τότε Σεβῆρος, ἑαυτὸν μὲν Ἀντωνῖνον μετονομάσας. εἰς δὲ τὴν τῆς ἀρχῆς κοινωνίαν προσλαβὼν Λύκιον, καὶ μετονομάσας Σεβῆρον. *Exceſſerat quidem è vivis nuper Antoninus, qui poſt Hadrianum Imperator factus. Imperabat autem tunc Severus, qui ſeipſum Antoninum vocavit. Lucium verò in Imperii communionem adſciſcens, appellavit Severum.* Cœpi conſiderare, & in uno nomine duplicem errorē notavi. Neque enim Marcus Antoninus Philoſophꝰ, SEVERVS appellatus; neque Lucium fratrem ſuum SEVERVM appellavit. Quid igitur? reſcribendum: Ἦρχεν δὲ τότε Οὐῆρος: *Imperabat autem tunc Verus.* item: καὶ μετονομάσας Οὐῆρον: *& appellavit Verum.* Hadrianus, cùm poſt obitū Ælii Veri ſucceſſorē Imperii quæreret, nec ob ętatem idoneus Marcus haberetur; Arrium Antoninum, qui poſteà Pius dictus, in adoptionē legit, eâ lege, ut is ſibi Marcum, Marcus verò Luciū fratrem adoptaret. Adoptionis hujus legem in Antonino Pio Capitolinus refert: *ut quemadmodum Antoninus ab Hadriano adoptabatur: ita ſibi ille adoptaret M. Antoninum fratris uxoris ſuæ filium, & L. Verum, Ælii Veri, qui ab Hadriano adoptatus fuerat, filium; qui poſteà Verus Antoninus eſt dictus.* Succeſſit igitur Hadriano Antoninus Pius; huic VERVS, qui M. Aurelius Antoninus dictus, vitâ moribuſque Philoſophus; Verō, Lucius frater, cui inditum nomen VERI. Capitolinus in vita L. Veri: *Defuncto Pio, Marcus in eum (* Luciū *) omnia contulit, principatu etiam Imperatoriæ poteſtatis in-*

Digitized by Google

dulto, ſibiq́ue conſortem fecit, cùm illi ſoli Senatus detu-liſſet Imperium. Dato igitur Imperio, & indultâ tri-bunitiâ poteſtate, proconſulatus etiam honore delato, VERUM *vocari præcepit, ſuum in eum transferens nomen, cùm antea Commodus vocaretur.* Item in vitâ Marci. *Poſt exceſſum divi Pij a Senatu coactus re-gimen publicum capere, fratrem ſibi participem in Im-perio deſignavit: quem Lucium Aurelium* VERUM *Commodum appellavit, Cæſaremq́ue atque Auguſtum dixit.* Paullò pòſt: *Antonini mox ipſe nomen re-cepit; &, quaſi pater Lucij Commodi eſſet, &* VERUM *eum appellavit, addito Antonini nomine, filiamq́ue ſuã Lucillam fratri deſpondit.* Sed in nummis quoque lapidibuſque veteribus vtrique *Veri* nomen ſæpè tribuitur, numquàm *Severi.* Manifeſto igitur mẽ-do Galenus; ſed & Chronicon Caſſiodori premi-tur, in quo Antonino Pio apud Loriũ villam mor-tuo ſucceſſiſſe filii dicuntur, *Marcus Antoninus Verus, & Lucius Annius Antoninus Severus.* Item, Conſules fuiſſe, *M. Antoninus Verus* XIV. & *L. Annius Antoninus Severus, anno regni undecimo, inter Concordiã & Altinum apoplexia extinctus* ſcri-bitur, *ſedens cum fratre in vehiculo.* Sanè pertinax hic Severus, quem niſi ſuo ſibi ære in Veri confeſ-ſionem emam, operam ludo. Nummus exſtat à Nyſæis cuſus, in quo duæ figuræ togatæ, jungen-tes dexteras, cum inſcriptione: ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΩΣ ΚΑΙΣΑΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ. ΚΑΙ. ΟΥΗΡΟΥ: *Impe-ratoris Cæſaris Antonini, & Veri.* Alius ex SC. in quo utriuſque effigies, & ambiens inſcriptio: IMP. ANTONINVS AVG. COS. III. IMP. VERVS AVG. COS. II. Alius cum imagine Veri & nomine: L. AVREL. VERVS AVG. ARMENIACVS. Et plures

Non.

Digitized by Google

Non tamẽ negarim M. Antoninum dictum etiam *Severum* fuiſſe, ſed non niſi ante obitum patris: deinde *Veriſſimum*, ab Hadriano. Capitolinus in ejus vitâ: *M. Antoninus principio avi ſui* (Annii Veri) *nomen habuit, & Catilii Severi materni proavi. Poſt exceſſum verò patris ab Hadriano Annius Veriſſimus vocatus eſt*: odio ſcilicet Catilii, ne qua ſimilitudo nominis ſupereſſet; ſed intentione Veri, Severi appellatio obliteraretur. Quippe Catiliũ illum Severum, ob Imperii affectationem, Hadrianus graviter inſecutus eſt. Marcus igitur Antoninus, dictus *Veriſſimus*, quaſi maximè Verus; nequaquàm *Severus*: & ſic *Veri* nomen, id eſt *ſuum*, ut Capitolinus ait, in Lucium tranſtulit. Fieri etiam poteſt in Galeno ſcriptum fuiſſe: Ἤιχεν δ' τὸν Σεβ. Οὐῆρος, quaſi Σεβαςὸς Οὐῆρος: *Verus Auguſtus*. Sed coaluiſſe binas illas dictiones, ac remanſiſſe Σεβῆρος: & mox item Σεβῆρον, ſive, quia & hic Auguſtus dictus, uti è Capitolino ſcripſi; ſive, ut ipſum Marci nomen translatum in Lucium videretur. Tu SEPTALI judica, qui Veterem Novamque Hiſtoriam omnẽ perluſtraſti. Ego quidem mihi videor medicinam, tametſi levem, Medico Principi feciſſe: ut per hunc quidem morbum valere deinceps poſſit. Patavii, XI. Kalen. Decemb. CIↃ IↃ. XCIX.

EPIST. LXXIII. *Venetias.*

THOMÆ SEGETO S.D.

LItteris, Verſibus, & Promiſſione largus es, mi SEGETE. Litteris, quas geminas ad me mittis ſuaviter & eruditè ſcriptas. Verſibus, queis æquè te amicum, ac Poëtam exhibes. Amicus enim es, quia tuâ ſponte, & ad amicum Epigrammata iſta das: Poëta, quia tam venuſta. Promiſſione deniq;, quâ te Orationemque addicis. O te lepidum! ò me beatum! Litteris enim tuis conſequor, ut penè complecti abſentem videar,

— ac veras audire, & reddere voces.

Verſibus, ut tandem aliquādo langueſcentē meam Muſam excitari ſentiam. Promiſſione, ut teipſum delitium Elegantiarum recipiam. Itaque gratias ſcribo & habeo, Litteris, ſed minutis. Verſibus, ſed illepidis: nec enim vinci ab amico pudor. Deniq; Stipulatione, uti venias. Vale. Mediolani, IV. Kal. Septemb. ∞. IↃCII.

EPIST. LXXIV. *Lovanium.*

HVBERTO AVDEIANTIO. S.D.

ALteram epiſtolam tuam accepi: cur non & alteram Lipſianam? Iraſcerer PANTINO, id eſt amiciſſimo amico, ſi ab eo mora; imò verò lō-

Digitized by Google

gius affectum ducerem, ſi etiam jactura. Sed poteſt tamen ſine ullâ ejus culpâ non tantùm mora eſſe, verùm etiam jactura; ſi negligens tabellari', ſi infidus. ego negligentiam condono, ne infidum habeam: & ſic nunc PANTINVM amo, etiamſi litteræ pereant. Placuiſſe Inſcriptiunculam Dedicatoriam tam gaudeo, quàm affectum probari. Mihi ſic placet breviter, & pænè ipſo pectore loqui. Mẽtionem tui, pabulum puta amori jam ardenti: nec ab illo viro vinclum nobis, niſi æviternum. Sed in anteceſſum tu ipſe validè me tibi ſtringis Carminis tui vinclo. O' lepidum! ò gratum! hoc etiam magis, quòd *vidit*, ut ſcribis, *ipſe*; *legit & probavit ipſe*; *in viam adeò ad me dedit ipſe*. quòd *cum ſalute, quam adſcriptam voluit utraq; manu*. Itaq; Phaleucis tuis LOCVS DATVS EST DECRETO PVRI AMORIS. Vale. Mediolani, IX. Kal. Febr. ∞.IↃCI.

EPIST. LXXV. *Mediolanum.*

PETRO CANTONIO I. C.

FIdem meam culpari non ſinam. Scripſi, & tot jam epiſtolas meas numero, quot Gratias. Numero, & nunc denuò eaſdem mitto, quaſi non acceperis: id autem interpretor, non reſpondiſſe. Tu quidem utrobiq; excuſationem ſilentii habes, ſive acceperis, ſive non acceperis. iſthic negotia, hic ipſum jus ſilendi. Ego, tametſi ſciam temerarium eſſe in litem tecum deſcendere: de hoc tamen jure contendere auſim, judice Amore: ſi tamen judicare Amor poteſt. Vale. Patavij, VI. Mart. ∞.IↃC.

Digitized by Google

EPIST. LXXVI. Pragam.

IOANNI WOVWERO
Suaviſsimo Amico. S. D.

Dno upreckt. Genev.

IVro Amicitiæ Genium, mi WOVWERE, vehementem affectum meum in te fuiſſe; & nunc tamen ad igniculum tuarum litterarum magis accenſum. Flamma mera ſum; ſed in aërem ſparſus quocumque moveris, ſequor: ubicumque quieſcis, circūmfundor.

Me nec Chimera ſpiritus ignea
Nec, ſi reſurgat centimanus Gigas,
Divellet unquam.

Nam & tu jucundâ & amicâ me memoriâ (ita ſcribis) tecum circumfers. Sed mihi volupe profectò; à me ipſo ſic abire amœno mentis itinere, ut meipſe apud te inveniam: niſi tu tamen Mediolanum ad me, ut ad SEPTALIVM ſimul, & Illuſtriſſ. Cardinalem BORROMÆVM cogitationes reflectas. Varias lectiones illas jam tibi debeo, quia promiſi: exſolvam, quia debeo: nec moroſè, ut gratiam celeritatis merear. Sic decet, invicem juvare; & conferre in commune, quod in cōmune prodeſt. Vale, & lucubratiunculas tuas omnes (hæc aviditas mea eſt) fac habeam. Mediolani, ipſa horâ, qua apud Cardinalem noſtrum de te & copioſè & amicè, ut tuas accepi. Ipſis Nonis Junii, ∞.IↃCII.

EPIST.

Digitized by Google

EPIST. LXXVII. *Patavium.*

PHILIPPO RVBENIO *meo.* S.D.

QVòd litteras meas laudas, gratum mi RVBENI. gratas enim video, quia laudas. De Carmine autem, cave ſeorſim ſentias: ego ſeriò patrocinii jus ſumpſi, acturus contra patrem, ſi patrem exuas. Ergò cave: &, ſi admittere me laudem poſtulas, tu Verſus æſtima queis laudas. Tua quidem curioſa quædã felicitas eſt; quæ neſcio magis provocet audaciam meam, an retardet. Nam & ipſe ad ſcribendum carmen excitor, cùm ſic te ſcribentem video, ſed cohibeor cùm æquare deſpero. Macte ò amice, inter pauciſſimos es habendus etiam, ni te Famæ tu ipſe ſubtraxeris. Tanti homines ſumus, quanti volumus, ſi aura ingenii favet. Expediendus modò à plebeia humilitate animus, ut per alta & immenſa ſe dilatet. *Benè latuit, qui benè vixit,* inquies: ſed profectò conſpici publicè, cognoſci, cenſeri, ingens ad Virtutem ſtimulus. Itaq; bona indoles Famam mihi ambiat, & ipſum cultum boni. PEPLVM jam velut majori pruritu vexatũ, poſtquam ungues meos ſenſit, ad acus tuæ puncturas feſtinat. Fer opem obſecro laborantibus alibi numeris, meaſque laudes, & laudantis impetum reſtringe. Plenam urendi ſecandi poteſtatem ab auctore acceperam, quam totam in te reſigno ac transfero; velut in meum, & velut in non meum. In meum, ut laboris moleſtiam libenter admittas: in non meum, ut judicii ſeveritatem intendas. Sic te complector & oſculor mi RVBENI;

Digitized by Google

ſed animo, quem hinc tecum Patavium migraſſe ſcito, quaſi individuam umbram. Ab inanimi igitur, & ex animo tamen (mirum dictu!) ſalve. Mediolani, Prid. Eid. Decembr. ∞.IƆCI.

APOBATERION tuum ad I. LIPSIVM, tale eſt, ut jam meo ruborem incuſſerit: cujus in locum elegantiſſimos (excipio meas laudes) GVLIELMI BARCLAYI ad me Phaleucos produco: qui & ipſi tamen inviti comparationem cum tuâ Muſá patiuntur.

ERYCIO PVTEANO
LYTÆ HONOREM GRATVLATVR
GVLIELMVS BARCLAYVS.

Virtutes, PVTEANE, *ſi latentes,*
Quas nulli niſi noverint amici,
Tuas dixero; dicar eſſe mendax
A vulgo, vario, invidoq; vulgo.
An ſi dixero quidquid univerſi
Mereri, PVTEANE, *te fatentur;*
Carebit tamen iſta dente charta?
Non carebit. Habet ſuos aperta
Virtus, tunc quoq; cùm probatur, hoſtes.
Quid tum, pergóne? non tacebo amicum,
Rumpant ilia, frendeant licebit.
Matheſis tibi vindici, patrono
Debet ipſam animam; tibi reliquit
Ceris Barbiton Orpheus ſupremis:
Tibi tempora Phœbus ipſe cinxit,
Quem cùm carmina delicatiora
Delectant, tua cantat, aut tenentem,

Audit

Digitized by Google

Audit te ſua; nec pudet Sorores.
Hac, cui nomen Inambulationes
Dederunt, Schola te gregi Sophorum
Pridem miſcuit. Euge, cur moraris?
Aut cur non peragis viam hanc honorum?
Aſcendiſti hodiè gradum, ſed unum.
Quin & culmina ſcandis ipſa? Differs.
Dicet fortè diem tibi Minerva,
Dicet dia Themis diem: caveto.
Nam dum ſic trahis hos tuos honores,
Detrahis Themidi, & Minervæ honores.

EPIST. LXXVIII. *Ticinum.*

IS. ANDRÆINÆ,
Academicæ Intentæ.

ANimum impedire ſtili languor non potuit, quominùs ſcribendi fervorem demonſtrarē. Ita enim excitatus ſuaviſſimis tuis litteris ſum, ut reluctantem manum in ſcriptionis obſequiū coëgerim. Tuis litteris: & ſimul adoleſcentis hujus petitione, qui commendari à me voluit, & meruit; rogavit, & obtinuit. Cur autem commendari? ut ſpecimen Comici ſtudij daret, & in numerum ſive Collegium veſtrum adoptaretur. Adoleſcens eſt dicendi non ignarus, qui aliàs etiam ora hominum & pulverem publicum non exhorruit. Niſi fallor, *ex hoc ligno Mercurius fiet.* De Epiſtolis tuis, invitiſſimus audivi, ſepoſitas eas eſſe. Cave, per omnes Muſas. — * Ἐν γὰρ αἰσχύνην φέρει,
Πρᾶγμ' ἐς χέρας λαβόντ' ἀπώσασθαι τόδε.
Iterùm, cave, ſi cothurnū Euripidis æſtimas, à quo moneris. Vale. Mediolani, XVIII. Kal. Iā. ∞.IↃCII.

* *Etenim d… decus adfer… acceptum … manus ne… tium abiic…*

Digitized by Google

EPIST. LXXIX. *Venetias.*

IOANNI & RAPHAELI SADELERIIS.

NOn adeò bonæ ætatis contemptor ſum, Viri amici, ut jus imaginis ſoli ſenectuti concedā: nec minùs florem ego meum faciei videre cupio, quàm rugas & canos ſuos capularis ſenex. Etenim cùm vita & forma hominis, incrementi & decrementi quoſdam gradus habeat, & inter utroſque ſuum quoque ſtatum; hic potiſſimùm imagine dignus; proximè ille vultus, qui ad ſtatum ſuum accedit; poſtremò, qui ab eodem recedit. Vos ipſi libentiùs primam illam horam & amœnitatem naſcentis anni adumbratis, quàm hiemem ac effœtā ſenectutem denaſcentis. Et junior aliquis hanc inprimis voluptatem imagini ſuæ debet, ut non tantùm qua forma ſit, ſed qua fuerit cognoſcat, ſi in ſenectutem perennat. rectè autem Appulejus ſcripſit, *nihil eſſe aſpectabilius homini natò, quàm formā ſuam*. Ego in ære veſtro ipſe ero, ſi imago erit. Præſcriptiunculam in ORACVLVM veſtrum hic habetis: brevem; nec tamen, ſi rem inſpicitis, brevem. Salvete.

PIE FELIX
CLEMENS OCTAVE
PONTIFEX MAXIME,
AD VRBEM SACRAM, SECVLARIS SACRI CAVSSA,
CVM MVNERE, ET VOTO VENIMVS.
ILLVD TIBI DAMVS, VT OMNIBVS DEMVS;
HOC NOBIS CONCIPIMVS, QVOD QVISQVE SIBI.
EST AVTEM MVNVS QVOD DAMVS,
VOTVM IPSVM QVOD CONCEPIMVS,
MENTIS QVIES.
HVIVS TYPVM ORACVLO ANACHORETICO EXPRESSVM,
SVB SANCTISSIMO TVO NOMINE,
ORBI CHRISTIANO DIVVLGAMVS;
VT IPSI HABEAMVS,
IOH. ET RAPH. SADELERII FR.

EPIST. LXXX. Romam.

GASPERI SCHOPPIO V. C.

Amorem & S. nuncio.

ERgò tādiu te amo, nec ſcribo? Hoc ipſum nunc breviter, me amare. Accenderunt me ſcripta inprimis tua, &, qui in iis elucent, mores. Scripta inquam flore fructuque ſimul læta amœnioris & ſeverioris Muſæ. Delectant enim (cur negem meum ſenſum?) velut fragranti litterarum aura animum legentis; & paſcunt, velut robuſto alimēto pietatis. Sed mores quoque ad Sophiam & humanitatē factos mihi Io. WOVWERVS laudavit, jam cōmunis amic⁹. Tu verò alius eſſe nō poteras,

ſic verè & inter paucos eruditus. Nam multi illi hodiè, qui Litteras invaſerunt, quid niſi prurientē faſtum profitentur & alunt? Quid autem faſtum tantùm dico? imò aſtum. Callidi enim ſunt, non ſolùm ambitioſi. Verbum Catonis eſt, *unum ex omnibus Cæſarem ad evertendam Rempubl. ſobrium acceſſiſſe:* ſic iſti ad Litteras, ſobrii, id eſt ſpecie virtutis commendati. Hos fugio: te amo mi Schoppi, & amari à te cupio: te ſalvere. Mediolani, III. Kal. Jun. ∞.IↃCII.

EPIST. LXXXI. Vallem-Oleti.

Io. Fernandæo Velascio, *Comeſtabili Caſtellæ.*

Ut primùm in Italiam, & ad te veni Excellentiſſ. Princeps, ſignum aliquod dare conatus ſum proni & properātis in cultum animi: ſed quid niſi conatus ſum? Nam quod dedi, ex ipſis læſæ Antiquitatis ſparſæ ruderibus, ſive Reliquiis, expreſſum, non potuit voti amplitudinem æquare. Quid igitur? reſumpſi operam, & nunc Genialium Sermonum librū Genio Velasci nominis conſecravi. Genio, qui mihi & ſtudiis benignè arriſit. E tenebris ad Famam; è privato ad publicū titulum conſcendi: nec conſcendiſſem, niſi prim⁹ ille & circumſplendens favor tuus favorem multorum excitaſſet. Itaque Famæ, ſed & Fortunæ auſpicia Exc. tuæ debeo, ac debere me profiteor novo iſto ſeu innovato libro: quem ad gratiam tuam conſervandam, imo augendam editum voveo. Tu

Deus

—* τόδ' ἐπικρήηνον ἐέλδωρ:

& Optimum Principem Reipub. Doctiſſimũ Muſis & mihi ſerva. Mediolani, x. Kal. Apr. ∞.ɪɔxcɪɪ.

* hoc mihi p... fice deſideriu...

EPIST. LXXXII.

CAROLO LAVRINO *meo* S. D.

RArò ſcribis: quid cauſſæ? cave mi LAVRINE,

* Πολλὰς δὴ φιλίας ἀπροσηγορία διέλυσεν.

Ego quidem ſemel concepi affectum, æternùm alam. Virtutis enim cauſsâ concepi, quæ æterna. Panicus ille terror obticuit: ſed univerſa illa belli tẽpeſtas detruſa ad vos videtur, quæ miſeram Belgicam concutiat vehementiùs ac deniq; conficiat. Vbi ſpes noſtra & victoriæ aut Pacis votum? Mars & terror pro hoſtibus ſtant,

Exæquataq́; ſunt crepeti certamina belli.

Deus reſpiciat, & te in turbis illis ſalvum ac conſtãtem ſervet. Mediolani, VII. Eid. Jun. ∞.ɪɔcɪ.

* Sæpe amor eſt viſus per longa ſilentia ſolvi.

EPIST. LXXXIII. *Florentiam.*

GVLIELMO ATHENIO, *Medico, & Ocello meo.*

LItteris tuis Μακάριος ille μακάριον me fecit, jam anxium de ſalute tuâ; etſi certum de amore mei. Ego enim etiam ſine litteris te amo: ut contrà ſine amore tu non ſcribis. Litteras tamen tuas amo, quia te: ut tu meas, quia me. Itaq; fructũ amoris ſcribendo damus viciſſim & capimus, dum mutua illa ſigna. Litteras inquam ſine ornatu lepidas,

Digitized by Google

ſine fuco feſtivas. cur non & frequentes? Scribere parciùs ratiusque nos vis, quàm loqui? Ego æquè libenter lego ſermones tuos ac audio. Ad animum ſi compendium quæris, oculos mihi pete, ut penetres: ſed crebrò pete. De materie cur ambigas? ſemper amor fœcundus eſt. naſcetur ſub ipſo ſtili acumine rerum uberrima ſeges, narrandi, jocādi, philoſophandi; etiam priuſquàm obſeveris. Quid autem nunc tu? ex animi ſententiâ? voveo. Ego certè animum cum fortunâ ſuâ luctantem necdum vindicavi. conor tamen, &, ne in familiâ hercifcundâ finibuſque propagandis occuparer, Orationis partes conſtitui atque limitavi. DE DISTINCTIONIBVS enim edidi: & ecce hic habes. Vin' lætum etiam nuncium? PVTEANVM ipſum videbis brevi, proximis iſtis feriis noſtris & juſtitio litterarum. Larem tuum intereà ſic corona, ut lepidum & fauſtum hoſpitium experiar. PANEGYRICVM velim te legiſſe: ſi juſſeris hinc mittam. Vale, ſcribe, & ſolo nomine inſcribe, litteræ pervenient. Mediolani, Poſtridie Kal. Iun. ∞. IↃCI.

EPIST. LXXXIV. Mediolani.

FRANCISCO CAGNOLIO,

In D. Ambroſii Canonico.

QVid tu autem, optime & ſtudioſiſſime virorum oneratas aures prolixa oratione habes, ut ad epiſtolam manum quoque extendas? At alij jam malint ad cibum. Licet, ſi adſuū. ego enim non ventres, ſed aures paſco; ac dicere de meo poſſum faciliùs, quàm dare. Avidum Auditorem volo; cō-

vivam

Digitized by Google

vivam nolo: te tamen etiam convivam, qui (glorioſum dictu!) in litteris ubique es, ubiq; diſcis. Veni igitur, & poſt verba epulas quoq; guſta: ſcies ſplendidiùs domi convivium, an orationem in ſcholis ſtruam. Vin' etiã præſcire? ſplendidiùs orationem. Itaq;, ſi oratione placui, fruſtrà ad convivium meũ venis: ſi diſplicui, ampliùs convivio diſplicebo. Riſum excitavi? hoc volui. Salue.

EPIST. LXXXV. *Romam.*

LEONARDO GVETENSTEINIO. S.D.

AMo candorem tuum, Amicitiam amplector, quam vix natam promptiſſimo officio, velut lacte, nutritum is, quaſi unicam prolem. Niſi me virtutis Doctrinæque Genius fallit, plures tu amicos, quàm filios Priamus habuit: & tamen ſic effuſus in me, quaſi cæteros omnes rivos teneas obſtructos. An ego tam carus tibi, quia poſtremus ſum, & ab ultimo Amoris tui partu? Enimverò, ſi rem diſputo, aut miram humanitatem tuam, aut felicitatem meam cogor admirari. Illam, ſi cum multis tam ardenter à te amor: hanc, ſi præ multis. In Amicitiam enim ejus adſciſci, cui jam refertum album eſt, nonniſi humanitas adſciſcentis eſt: ſed adſciſci ac præferri, felicitas adſciti. Ego verò ſive cum multis, ſive præ multis, faciam quod multi, & contendam de Amore. In Cenſorino,

Fac ut cœpiſti, hanc operam mihi des perpetem:

Imò tibi; ut utrique Fama arrideat. Candidè dico: & ſic te, Candorem, & epiſtolam tuam amo, quæ ſermonis quadam Venere Amorem & Candorem ſpirat. Vale. Mediolani, x. Kal. Febr. ꝏ. IↃCI I.

Digitized by Google

EPIST. LXXXVI. *Patavium.*

LAVRENTIO PIGNORIO S.D.

TOLLIVM noſtrum, & litteras tuas vidi libens, mi PIGNORI; non item illam honeſtiſſimæ petitionis verecũdiam: cùm jus habueris exigendi. DE DISTINCTIONIBVS per adoleſcentẽ hunc tibi trãſmitto: quẽ eadẽ operâ à LIPSIO cõmendo. Mihi feceris, quod illi: LIPSIO ꝗ utriq;. Medicinæ cauſsâ in Italiam venit: tu aditum ei ad meliores aperi, ad ſcientiam & Virtutem.

Novi ego hoc ſeculum moribus quibus ſit: malus bonum malum
Eſſe volt, ut ſit ſui ſimilis: turbant miſcent mores mali.

Fac obſecro, quantũ in humanâ manu eſt, doctiorem Patria civem recipiat, non pejorem. Perperàm in ſcientiam mores inſumũtur. domi ſi omninò peritus eſſe non potuit, bonus potuit: mavult autem, etſi diſcendi ſtudio quàm maximè flagret, bonus eſſe, quàm peritus. Paucis: placebit ingenium, ſi inſpexeris. TOLLIVS porrò iter ingreſſus eſt, ac ſalutem mihi ad te reliquit: hãc mitto, & meã adjungo. Mediolani, XVII. Kal. Quinct. ∞.IↃCI.

EPIST. LXXXVII. *Ticinum.*

HENRICO FARNESIO, V. C.

Artis Oratoriæ Regio Interpreti.

EVolabo, non Pegaſi, ſed Amoris alis; imò & Pegaſi & Amoris. Sic decet; non ardentem ſolùm, ſed celerem quoque affectum eſſe; ut quamprimùm

primùm tibi flammã meam ſiſtam. De Carmine, & Chirone corã. Elogii deliciis & me & quidquid meum eſt viciſti. Vehementer amas? vehementer etiam laudas. Ego quidem amãdo certo, ſed laudando vincor. nec mirum; cùm orationis quodã robore tu meritum meum vincas; ego amoris æſtu omnem orationis conatum conſumam. Experiar tamen, an coràm & in conſpectu tuo poſſim Suadam meam provocare. Vale. Mediolani v. Eid. Eebr. ∞. IↃCII.

EPIST. LXXXVIII. *Mediolanum.*
LVDOVICO SEPTALIO V. C.
Patricio & Medico Mediolanenſi.

REdeo ad meum morbum, ſive, vt tu appellas, officium, & ſcribo. Aliter poſſum? otio par materies ſupereſt, & mihi voluntas. Itaque de me, de itinere, de lacu, & oppido habe. Quod ad me, pone curam, in ipſo itinere languoris omnes nebulas excuſſi. Etiam rogas? molli & tolutario planè motu meo; imo vectoris muli. Nam quaſi minùs valentem ſe gerere brutum ſciret, lenta & ad tædium moroſa formabat veſtigia. Dixiſſes non hominem, ſed pompam aliquam vehi. Ergò tandem aliquando Raudum, & inde Origium pænè frigore correptus veni. Nubes enim totum cœlum obvolverant, & quaſi irritatus *ταμίης ἀνέμων, procelloſo flatu ſęviebat. Planè in ipſo itinere videbar hiemẽ inveniſſe. Tenuiter amictꝰ, ſine lacernâ erã:

* ἐπεὶ ὐκ ἐφάμην ῥιγωσέμεν ἔμπης.

Origii hoſpitium mihi mulus impetravit, in ædibus Borromæis (ego enim ignotiſſimus eram) is,

Promus ven[...] rum.

* *nec enim [...] bam tantum [...] fore frigus.*

Digitized by Google

velut domeſticus ad ſtabulum ſuum procurrens, invitum me unà traxit. Itaque in pedes deſilio, limē ſubeo, & excipior. Poſtero die benè hoſpitio precatus, iter Gallaratum verſus inſtituo; ut in tranſitu vetus contubernium meum, Laremque Comitis ALTEMSII ſalutarem: ſed hic profectò tota illa vectoris mei humanitas mutata, ignarū & incautum me extra viam in ſaltum & teſqua dumecta tulit. Ille ſtolido impetu transversùm calcare: ego freni jure itineris arbitrium mihi vendicare. Lepidum ſpectaculū! in ſolitudine homo & brutum de via herciſcunda contendebant. Sed prævalui, ad bilem calcesque refractarij animalis poppyſmis lenivi. Gallarato Angleriam, per viam, alibi latis lætisque pratis diffuſam ac patentem, alibi ſylvarum quodam horrore coärctatam profectus ſum. Hic relicto vectore meo, quem nullæ blanditiæ in hippaginem allicere, nulla vis impellere potuit, lacum trajeci. An & hunc deſcribo? dixi, facio. A Meridie in Septentrionem ad milliaria ſexaginta porrigitur, velut per convallem longo anfractu errās. Diceres in conſpectus amœnitatem elementa omnia conſpirare. Colles feraces utrimque; rupes miſtæ quæ feſſas gravidasque alibi nubeculas ſuſtinent, alibi defluētes aquas grato murmure elidunt. Aër ſaluberrimus, aura ſpirans ad inclementiam duntaxat æſtatis temperandam. Lacus ipſe non amœnus tantùm tam varia facie, ſed varius multiplici uſu. Piſces nutrit, naves fert: illos cōpiosē, has placidè; niſi quando è viciniſ ſpeluncis (nam & hic

Eolus Hippotades Divis immortalibus carus natanti in insula.

* Αἴολος Ἱπποτάδης φίλος ἀθανάτοισι θεοῖσι,
Πλωτῇ ἐνὶ νήσῳ,

cum duodecim liberis habitat) niſi inquam quādo

Vnà

*Vna Eurusq́; Notusq́; ruunt creberq́; procellis
Africus, & vaſtos volvunt ad littora fluctus.*

Maris enim iracundiã tunc quoq; dulces illæ undę induunt, ſpumamq́; cogunt, è qua non libidinis aliqua Venus, ſed ſerenitatis repentè oriatur. Itaq; cùm ſævit maximè lacus, malacia proxima eſt: nec horrida tēpeſtas tam amœnũ adſpectũ exaſperare diu pōt. exaſperat tamē, ſed hactenus, ne muta aut mortua aqua videatur. Bona Voluptas, quàm iuvet facilē cimbulã, ſine gemitu undarũ, velo expanſo altiùs educere; aut, ſine ventorũ labore, remis impellere; & veſpertinã illã aurã, ac ſimul famē captare! in illo æquore ac ſolitudine garrire, ridere, ſtudere! quid ſi etiam ꝓſilire, & amplecti nudã illam Nymphã? Olim feci, & natandi quoq; ſtudio inter æquales excellui. Quàm juvet etiã curvã illam ripã legere; tot aquarũ ſcaturigines, tot fōtes, tot Naturæ delitias; tot villas, caſtella, oppida, & hãc ipſam, ſi litterã mutaveris, Romam contēplari! Fallor, an expediri Phaſelũ Cardinalis noſter juſſit? Vocor, eo, avehor: ſed ſine epiſtolæ damno oppidũ ex ipſo lacu deſcripturus. At jam avectus ſum, deſcribo. In acclivi ſitũ eſt, & per ripã porrectũ. Murus pinnarũ ſupercilio ſuperbiēs, turriũ varietate, velut columnis quibuſdã, diſtinguitur. Media ripa lacũ ab Oriēte admittit, & in ipſo oppido portũ conſtituit, quē cōtiguũ forũ & mercatus egregiè cōmendant. Plateæ nitidæ ſunt, ædificia bella, populus humanus. Labentes è proximis mōtibus & murmurantes rivuli ad uſum & delitias excepti, mox in lacũ exonerãtur. Rupes altior & prærupta oppido cōtinua, in cujus jugo caſtellum, vario murorũ gyro, velut labyrintho, munitum; è quo & oppidum, & lacum, & quicquid vicinum eſt deſpicias ac domes.

Habes de me, de itinere, de lacu, de oppido: quæ quidem obſervare paucis horis potui, momento ſcribere. Vale. Partim in oppido, partim in lacu, non ſine riſu Cardinalis; qui narrationi meæ ſubſcribit, fidemq; conciliat. XIIII. Kal. Septemb. ∞.IↃCII.

EPIST. LXXXIX. *Venetias.*

IOANNI COTOVICO S.D.

LArgus tu quidem, non litteris tantùm, ſed affectu, mi COTOVICE. Sed in hoc ignavus nõ videbor: & faxo in publico morum morbo bonæ Amicitiæ reliquias aliquot dicas ſupereſſe. Etenim dum vitia & malæ artes pullulant, ipſa langueſcit virtus ac moritur: cum virtute Amicitia, quæ, Philoſopho ſcribente, ἀρετή τις, ἢ μετ' ἀρετῆς. Ergò, ut te amem, Virtutem amabo, ut rectè amem: etſi amare Virtutem non potero, niſi & te. Communis amici fortunam dolui: utinam corrigam! Sed ne nos quidem hic iſtiuſmodi remedia prompta habemus.

* Ζῶμεν γὰρ οὐχ ὡς θέλομεν, ἀλλ' ὡς δυνάμεθα.

Nam vivimus non ut volumus, ſed ut poſſumus.

Sed quid ille? publicitùs hoſpitio exceptus, & tenebras mero meridie videt? Durũ, dirumque: ut mihi quidem cogitatio ipſa punctim pectus feriat; & animum neſcio quò impellat. Cui benè volo; patiè malè volo, quòd mali cauſſã aluerit. Amicus, quòd benè velim: verus, quòd malè: & ſic, ſine Amicitiæ damno, iraſci quoque amico poſſum, ſi peccet. FABIVM PAVLINVM doctiſſimum & amiciſſimum virum per te ſaluto. Vale. Mediolani, VIII. Eid. Iun. ∞. IↃCI.

EPIST.

Digitized by Google

EPIST. XC. Mediolanum.

HELENÆ CRIVELLIÆ, *Muſarum Puellæ* S.D.

ANnon ſic merito te appellem, quæ tam gnaviter caſtis Sororibus operaris, ipſa caſta

— & in omne virgo
Nobilis ævum,

ſi perrexeris? Perges autem, & obſibilantium vocũ remoram perrumpes.

Tibi qualum, —
Tibi telas, operoſæq; Minervæ
Studium aufert

Hermes, & junctim Philologia. obſequere, & ſtilo libriſque vaca. Magnum ingenium tuum eſt, & ad magna natum: magnum etiam fructum daturũ, ſi excolueris. Vt felix & fertile arvum ſine cultu non habemus: ſic neque pectus. Fac igitur, quod libenter facis: fac, quod facilè quoq; facis, ac ſtude. Sic rem, doctrinam, imò Famam hauries; & felicitatem aliquam invenies, etiam in rebus humanis. Vale, ſcribe, & litteras tibi vindica. Romæ ad lacum Verbanum, A.D. Kal. Sext. CIↃ.IↃCII.

EPIST. XCI. Patavium.

IO. VINCENTIO PINELLO, *Viro Perilluſtri.*

FElici pede viam ingreſſus & emenſus ſum: Vincentiam, Veronam, Brixiam, Bergomum vidi:

Digitized by Google

ſed quid niſi peregrinandi cupidinem irritavi? Hæc jam ſedanda ac refrenanda pænè invito eſt: etſi nõ invitus ad quietem profectus ſum, & tranquillum hunc errantium Muſarum mearum portum. SEPTALIVS, & QVINCTIVS; ille meus Caſtor, hic Pollux vocabant: non ſequi, ſuperbum, imò ſtultum erat. & tamen ſequi, ſtultum; cùm tu mihi deſerendus. tu, inquam, mortalium omnium humaniſſimus, apud quem videri poteram Bonam Fortunam inveniſſe; imò Bonam Famam. Qui illi ſermones! quod otium! quæ vita! Sed

Tum deniq; homines noſtra intelligimus bona,
Cùm quæ in poteſtate habuimus ea amiſimus.

Ego tamen nihil amiſi, qui nunc abſens vehementiores etiam amoris tui ſtricturas experior, totuſq; accendor. Amor enim nunc magis, quia abſens; & magis nunc quoque amo: Vniverſus autem Amicitiæ fructus in Amore eſt, ſi in Virtute Amor. Itaque abſentiam meam fero; ægritudinem tuam nõ fero. Sanum te, aut proximum ſano inveneram: alium reliqui. nec jam hoc dolet quòd reliqui; ſed quòd alium. Vtinam litteræ meæ medicinam aliquam propinent! at vereor ne nauſeoſum aliquẽ liquorem. Vt fluctus maris æſtuantis novi & novi ſurgunt, ſtrepitumque ad litus ferunt: ita ſcriptio mea erit, continua, nec tamen decumana. ſcribam, ſed breviter, ſic ſcribendo tantùm moleſtus. Vale, & vive, ut dexterâ annos computes. Mediolani, Poſtrid. Eid. Novemb. ∞.IↃC.

EPIST.

Digitized by Google

EPIST. XCII. *Ticinum.*

ANGELO STEPHANO GARONO S.D.

AMorem tui, mi GARONE, vultus ſermoniſq; modeſtia, pectori meo inſpiravit: Amorem autem non levem, quia non à levi cauſsâ. Senſi.n. morum & Naturæ ſimilitudinem quamdam ab eodem utrique Genio impreſſam. ſed Muſarum Genio, qui Eruditionis & Virtutis gemino vinclo in æternam animos Amicitiam jungit. Ac ſanè, niſi à gemino hoc fonte liquor Amoris prompt⁹, putiſcat ſubitò, & fugitivum benevolentiæ odorem exſpiret. Hæc enim Voluptatis & Vtilitatis fides eſt, facere amicos, ne maneant. Ii verò,

* Οἷσιν ἐπὶ γλώσσῃ τε καὶ ὀφθαλμοῖσιν ἔπεστιν
Αἰδὼς, οὐδ' αἰσχρὸν χρῆμ' ἐπὶ κέρδος ἄγει,

nullâ ſuſpicione, nullâ unquam cauſsâ colliduntur. Sic ſumus, & ſic quoque erimus; ut veræ & perfectæ Amicitiæ nomen tueamur, ſemel profeſſi. Ego nunc quoque χρυσέαν Ὑγίειαν (ut Lyricorũ Princeps appellat) propitiam experior; aramq; voveo, meâ, ſed & tuâ cauſsâ. FARNESIVM porrò mone, priſcã formulam, propter oſtium ſcribat: CAVE, CAVE CANEM: aut ſi hoc negat, canem ipſum catenâ vinciat, ne laciniam aut crus ipſum vindicare deinceps cogamur: Novi φύλακας iſtos, quos nec doli quidem Vlixis, nec σιτία placaverint. Patri tuo ſalutem reddo, cultumque devoveo. Mediolani, XV. Kal. Maii, ∞ IↃCII.

* *Et quibus i[…] lingua, atq; o[…] culorum ſede[…] moratur Ing[…] nuus pudor, e[…] turpe lucrum fugiunt.*

Digitized by Google

EPIST. XCIII.

OCTAVIO VISMARÆ, V. C.
Medico Mediolanenſi.

TAbellam Lucilii jure rides: ego ipſum, ſic ſcribentem; imò ſic dicentem. Quid poteſt ineptius? Scriptionem vitia: dictionem vitia & ſimul convicia complent.

Quis hoc poteſt videre? quis poteſt pati?

Et tamen ſilentio aures meas vindico; imò Scholam, quam unà obſtrepero & ferali quodam carmine læſit. Cathedram plauſtrum fecit; ſeipſum noctuam: ita ſtrenuè conviciatus eſt; ita illud TV, TV, ad nauſeam ubiq; miſcuit. Sed ἄλλο γλαῦξ, ἄλλο κορώνη φθέγγεται. Ego lucem aliquam DISSERTATIONE meâ è veteri memoriâ in Scholam intuleram: ille noctem reduxit.

Quis hoc poteſt videre? quis poteſt pati?

Per me quidem & orare & errare illi impunè licebit; ſi meminerit quo in loco oret, apud quos erret: ſin minus, rus eat, & aret. Sed priuſquàm eat, teſſeram hanc capiat Oratiunculæ quam dixit, Tabellę quam fixit.

Orat LVCILIVS, *ſed fuſcum nil niſi* TV, TV:
Fit clara obſcurus NOCTVA LVCILIVS.
Jactat palliolum; fit, dum vult GRÆCVLVS *eſſe,*
GRACVLVS, *&* *totus perſtrepit* IN TABVLA.

Græci hoc Adagium efferũt, ἐν τῷ πίνακι, quod, Plutarchus expreſſit, in Apophtegmatibus Laconicis: Ἐπεὶ δὲ ἰδών τις ἐν πίνακι γραπτῷ Λάκωνας ὑπὸ Ἀθηναίων σφαττομένους, ἔλεγεν, ἀνδρεῖοί γ' Ἀθηναῖοι. Λάκων ὑποτυχών, ἐν τῷ πίνακι,

Digitized by Google

πίνακι, εἶπεν. *Cùm in tabulâ pictâ quidam videret Lacones ab Athenienſibus interfici, Fortes, inquit, ſunt Athenienſes. Superveniens caſu Lacon,* IN TABVLA, *ait.* Salve, & nunc magis Tabellam ride.

EPIST. XCIV. *Bruxellam.*

HERMANNO GREELIO S.D.

NOn intepuerat meus in te amor, mi GREELI, tanto intervallo; etſi viſus intepuiſſe, nõ meâ, ſed temporum, aut locorum quadam culpâ. Tempora quæ ſint, vides: diſpergi & jactari cœpimus, ut è portu ſolvimus, & ſilentio primorum ſtudiorum. Sic autem diſperſis varia ac incerta nobis loca fuerunt: certè mihi, jam per tot annos in Scytharum morem vago. Nunc Mediolani ſedem fixi, ad publicam Eloquentiæ Profeſſionem promotus, & reflectere animum, imò ſcriptionem ad amicos cœpi,

Longè quos ſimul à domo profectos
Diverſos variæ via reportant.

Ad amicos, & ſic imprimis ad te, iiſdem mecum ſtudiis velut ſacris initiatum, quæ religioſiùs nunc colere aggreſſus ſum, & unà memoriam tui. Tu & ſtudia, & me quoque ama; & utrumque ſcriptione oſtende. Mediolani, XVI. Kalend. Jun. ∞. IↃCII.

EPIST. XCV. Lovanium.

IUSTO LIPSIO V.C.

Hiſtoriographo Regio.

TOties ſcribo, ut tædio litteræ ſint, omnes ſi perveniant: ſcribo autē quaſi non perveniant: & ſic de Cardinali BORROMÆO, deque RICHARDOTO ac RUBENIO nunc denuò, quaſi non ſcripſerim. Illum vidi, & Oratiunculâ ſalutavi, inclinatum in me animo, quia in te. Libenter audivit, humaniter reſpondit, & nunc habere me in numero intimorum cœpit. Unà ſæpè ſumus, ſed familiariter; diſſerimus, ſed ſuaviter; epulamur, ſed muſicè. Muſæ quantum poſſunt! Ego gaudeo, &, *Principibus placuiſſe viris*, non laudem tantùm, ſed felicitatem eſſe experior. Hi tui Patavii jam quieſcunt, & cum bonis doctiſque ſunt: hoc tamen infeliciores, quòd poſt PINELLI mortem; quòd poſt avectam luculentiſſimam & invidendam Pergami Regibus Bibliothecam. Sed, bone Deus, quàm & hæc pænè cum domino perierat! Venetias tranſportata ac navi impoſita fuit, ut Neapolim ad heredes veheretur. illa (ò intuta marium!) prope Anconam à Turcis intercepta: qui, ut tantam librorum molem conſpexêre, ſive æterni illius viri, ſive Litterarum Genio furorem cohibente, in litus expoſuerunt, navemque vacuam abduxere. Jam hauſerat libros aliquot Salſipotens ille Deus; ſed iram Muſarum verit⁹, ulteriore ſcelere noluit inquinari. Eos ipſos, quos hauſerat, ruptos undarum violentiâ laceroſque velut eliſam ſpumam ejecit. Sic è barbarorum manibus recuperatus inſignis ille theſaurus, in no-

vam

Digitized by Google

vam urbem, ad novum dominum venit. Inſinuare in Amicitiam tuam magni & culti animi feminam audeo, Muſarum & Suadæ delitium, ISABELLAM ANDRÆINAM: & tu recipies Muſarum atq; Suadæ cauſsâ. Nihil eruditius hoc pectore, nihil facundius hoc ore: ut mihi quidem videantur hic litteræ ad feminam recidiſſe. Fama dicet, cui jam nomen pridem inſeruit. Vale Clariſſime Vir, & munuſculumà me veſtiariũ cape, quod cum MELCHIORE VELTWYCKIO, illo meo, miſi. Mediolani, XIII. Kal. Januarias. ∞.IↃCII.

EPIST. XCVI. Ticinum.

HENRICO FARNESIO, V.C.

Artis Oratoriæ Regio Interpreti.

QVod tibi PROMVLSIS mea, Clariſſime Vir, id una mihi iſta Epiſtola tua, ad irritamentũ deſiderii, non ſatietatem: hoc tamen diſcrimine, quòd illa mea irritando non expleat; hæc tua irritet ſatiando. Ego enim è ſcriptione tuâ, velut è Pyrenæo fonte, haurio quantum volo; nec tamen quantum volo: ita ſe animus hauriendo laxat. tu verò; ſi non ad guſtum, ſed ſitim Mulſum meum habes, mox ipſam nauſeam bibas. Itaque tempera in deſiderio iſto, & dum legendi voluptas integra, abſtine, ne deſiderium perdas. Me verò ſine ambroſiâ tuâ uſque & uſque animũ implere, nunquam explendum. Ita enim ſcribis, ut neſciam magis doceas an delectes: ita tuas ego litteras lego, ut in doctrinam æquè ac delectationẽ propendeã.

Digitized by Google

DE ANTIQVA PRINCIPIS DISCIPLINA, quàm libenter audivi! Emolire, emolire, & publicè unũ aliquem doce, in quo omnes doceas. Peccant enim multi, quia unus aliquis peccat; & ad unius exemplum multi componuntur, inprimis ſi ad vitia flectit. ergò tu reflecte, & frenum injice quo reflectas, ad prudentiæ viam. Et rectè DE DISCIPLINA ANTIQVA; quia illa recta. Nam quæ hodiè artes Aulas & Caſtra occuparunt, quid niſi peſtes quædam Reipub. ſunt, ad faſtum & ambitionem, ad rapinas & cædes? Externa illa & circumfuſa majeſtas habet ordinis aut Diſciplinæ quamdam dignitatem; ſed, ſi penetraveris, diſſolutam vanitatem. Exempla nimis crebra hodiè, nimis obvia ſunt: tu, ut Patriam deploremus, unam Belgicam mihi vide. Tantam belli flammam tamdiu quid aluit? neglecta Diſciplina. Atque utinam bellum eſſet! merum latrocinium voces, à neglecta Diſciplinâ. nec mireris Militis nunc nomen in contemptu nobis eſſe, illud olim laudatum imò ſacrum; quia contempta Diſciplina. Sic igitur Mars ipſe aſylum improbis aperuit; & mendicabula ac pænè ſcelera hominum ſunt, quos inopia ac deſperatio ad Militiam cogit, ut inpunè graſſentur ac ſæviãt. Nec in Caſtris dumtaxat omnis Diſciplinæ ratio deleta, etiam in Præſidiis. Cogor dicere, *Anguem in ſinu* habemus, qui hanc labem in urbe & in Lare. O' ſortem! qui in tutelam vitæ & fortunarum noſtrarum dantur, hi ipſi ferro & flammâ in nos ac noſtra ſæviunt; & tamen velut jure belli. ſic diripimur, ſic perimus: & dum præſidiũ putamus (miſerum!) habemus

— medium in penetralibus hoſtem.

Quæ

Quæ non vidi ipſe dictu nefanda, cùm VENLONÆ, in urbe Patriâ educarer? domeſticum exemplum repetere à puerili memoriâ libido eſt, quo præſentis calamitatis dolor leniatur. Villam trans Moſam habemus, à Majoribus hereditariam, in conſpectu ipſius urbis. In hanc militum globus ex ipſo præſidio noſtro collectus, aſſumptis hoſtilibus ſignis, irruit; in prædam ſe effudit, pinguiora armenta abegit. Villicum fraus ſceleris non diu latuit. queſtum ad patrem meum, ac deinde ad Centurionem venit. Sed hic, ex compacto prædæ particeps, à crimine ſuos vindicare; milites ſe ducere, non latrones. Ita, ait, villicus; ſed hoc tamen latrocinium nunc militare eſt. Tunc Centurio, velut ſtrenuus aliquis Hæmus, latronum quoque patrocinium ſuſcipiẽs, Quid, inquit, quantillum damnum paſſus? illi ſeu milites ſeu latrones nihilne reliquum tibi è fortunis fecere? Fecerunt, ait villicus. Ergò, ſubjecit Cẽturio, mei non ſunt: quidquid eſt, & quidquid non eſt rapiunt,

* Οὐχ ὄπιδα φρονέοντες ἐνὶ φρεσὶν οὐδ' ἐλεητὺν.

Tu alium quære, apud quem querelas fundas. Hiulca gens! nec corrigenda, niſi Principes ipſi manũ adiiciant, reforment, repurgent, ad exemplũ Militiæ ſive Diſciplinæ priſcæ. Te docente fiat, Deo favente: quẽ ex animo precor, te litteris & mihi ſervet. SEPTALIVS ſalutem pleno ore reddit, pleno animo. Epiſtolam tuam vidit, & eleganter ac amicè honorẽ mihi à te habitum profeſſus eſt. Mediolani, VI. Kal. Febr. ∞.IƆCII.

* *Nec pu[...] in mentib. [...]bentes, nec [...] [...]ſericordiam*

Carmen poſtibus tui libri adfigendum, potiùs amicum quàm eruditum molior: etſi ipsâ morâ amicum pænè eſſe deſinit, an ut eruditum evadat?

Digitized by Google

neſcio. ego certè amore tibi, quàm eruditione placere malo.

EPIST. XCVII. *Patavium.*

IOANNI MANGANO S.D.

AD epiſtolam tuam breviter reſpondeo; ſed ὕστερον πρότερον, Ὁμηρικῶς: ut priùs videam cur nominatus mihi in epiſtolâ non ſis; deinde cur ab interpretatione excluſus. Ais è tribus conjecturis tuis unam meam me feciſſe. Mehercules non feci. nam, ut Genium meum noſcas, caveo è priſcâ lege, NEQVID ALIENVM TOLLAM IN ARMVM. Vide ſcriptionem meam, & audaciam accuſa, ſi nomine aut titulo acumen tuum uſurpavi. At nominare te debebam: non feci; ſed nunc, ſi vis, facio; aut locum ipſum ſubſecante linea ab Epiſtolari hoc campo ſejungo. De meo & in meo ſpem fero lætioris Famæ: nec Carpus quiſquam erit, niſi qui ſiniſtrè manu & judicio utatur. Sed profectò indignarer ab his notis & nugis cauſſam inter nos diſſidii pullulare. Caveamus. Nunc πρὸς τὸ πρότερον. Emendationem detuli, cur ad Interpretationem vocas? niſi & tu ab utroque illo auctore *redire cum ſeptem pinnis* velis. non invideo: te amo, ſi non ſpernis, & amare pergo, ne ſpernas. Vale, & SECVNDA AVSPICIA mea vide. Mediolani, Poſtrid. Non. Febr. ∞.IↃCII.

Digitized by Google

EPIST. XCVIII. Romam.

NICOLAO COLLARDO.

ET olim te amavi, & nunc amo; olim & nunc quoque dignum. Eſſe enim te video (niſi litteræ fallunt) qui fuiſti, probum modeſtumque; tui ſimilem, inter diſſimiles fortaſſis tui. O' candorem, & nivem animi, ad ardentiorem hunc Solem non violatam. Ecce quàm liqueſcunt & diffluunt plerique illi noſtri, in luxum, laſciviam, vanitatem: quos nulla deinde aura corrigat, nullum gelu ſtringat in rectam & rigidam Naturæ normam. Pudorem! vitia induunt, virtutes ponunt & prætextam puræ educationis. Tu vita, ut vitas, ſi amari à me vis, ut amaris. Intepuerat, non nego, hic tam longo intervallo ac ſilentio adfectus; ſed non deſierat. nã ut epiſtolam tuam vidi, & amatum mihi nomen, mox priſtinam concepi flammam & exarſi. Itaque, ut hic ignis duret, & cum Veſtali æternus ſit, fomẽtum ſcribendo aggeramus, donec corpore uniamur, & vivum invicem ſermonem adſpirem9. Diſtinctiùs etiam de me vis? breviter: valeo, ſcribo publicè, & doceo, Eloquẽtiæ Profeſſoris titulum apud Mediolanẽſes adeptus. is ut bonus & fauſtus mihi ac juventuti ſit Deum rogo: & ut tu eſſe pergas, qui fuiſti. Mediolani, Poſtrid. Non. Febr. CIↃ. IↃCII.

EPIST. XCIX. Lovanium.

HVBERTO AVDEIANTIO S.D.

EGo verò ἐχεμυθίᾳ tuæ ignoſco, mi AVDEIANTI, & modeſtiam amo, quâ excuſas: ita tamen, ne poſthac excuſes. Multi ad me ſcribunt cottidie, ſed pauci iſto modo: ut autem non omnes cibi ſalivam mihi movent: ſic nec epiſtolæ omnium. ad quaſdã nauſeo, ad quaſdam excitor: ſed tuas cùm lego, ita me Muſæ ament, exulto,

Riſuſq; ſuperat mihi atq; abundat pectus lætitiâ meum.

Amor facit, quem tui concepi abſens abſentis, nat⁹ per litteras, fovendus etiam per litteras. Creſcenti corpuſculo non ſine ſanitatis damno alimentum ſubtrahas: ſic nec Amori. Amoris autem alimentũ adſpectus eſt, adloquium, aut ſcriptio in utriuſque vicem. Itaque ſcribe, ut amare te oſtendas: ama, ne ſcribere deſinas. Ego utrumq; tibi & polliceor, & præſto. Quod ad exemplar epiſtolæ Lipſianæ, cur longiori deſiderio torqueor? Mitte obſecro: & Carmen ſimul Caninum. Quis auctor? Ipſéne noſter? Tuum vidi, & in eo venam purioris Phœbi. Quid dicam? elegantiam admiratus ſum, & curioſam illam, Horatio tributam, felicitatem. Has gẽmas ego æſtimo; eo magis, quia domi non naſcuntur. Etiam ineundę à me gratię occaſionem poſtulas? Habe, ſed amicam atque litterariam: ut ſiquid Doctor ille noſter dixerit dictaveritque novum aut Philologum, cum bonâ ejus veniâ, per te habeam. Vale. Mediolani, Eidibus Juniis, ∞.IↃCI.

Digitized by Google

EPIST. C. *Romam.*

FLORENTIO LAVRINO *meo.*

Hem? amare me vis, nec amorem commõſtrare? ardere, nec lucere? Equidem nequeo coërcere hanc flammam, mi LAVRINE, quin interdum ſe effundat, lumenque ſpargat, ſed ſine ullo fumo. Amor pangit iſtas laudes. non cœcus, ſed oculatus, id eſt, verus totus, & honeſtus; non è Venere, ſed Virtute natus, & jam adultus. Ardeat igitur, & ſimul luceat in caligine hac abſentię ſive umbrâ: ego facem ſubjeci, ego laudem explicui: cur refrageris? cave ſis, aut laudem litigio muniam. Vt vulgo amantes fictis irarum imaginibus voluptatem miſcent, ut augeant: ſic tu fortaſſis eris. eſto: & ipſe ego ero, ut honeſtiſſimum affectum ſtimulem. ELOQVENTIÆ AVSPICIA SECVNDA hic habes. lege, & ſi potes, te oblecta. De PINELLO miror te neſcire. fecit, quod facturi omnes ſumus: & nũc ipſa tanti viri fama cœpit cum invidâ oblivione luctari. Miſereamur; ſed & ſupra hęc caduca animum extollamus. Vana omnis gloriæ ſitis, vana

— et laudis titulique cupido
Hæſuri ſaxis cinerum cuſtodibus: ad qua
Diſcutienda valent ſterilis mala robora ficus.

Si boni, ſi pii ſumus, æterni ſumus. Sed ſimus mi LAVRINE; & hoc vinclo amici quoque æterni. Vale. Mediolani, Poſtrid. Non. Febr. ∞. IↃCII.

Digitized by Google

CLAVSVLA.

CÆNASTI *mi Lector; ſed è veteri lege, qua centũ dumtaxat æra ſubſcribi in* CÆNAM *permittebat.* CÆNASTI, *inquam : & ſic nunc ſatis oneratum ſtomachum habes, tametſi robuſtum. Digere, aut ruminare potius, & in ſtili atq; animi alimentum partem aliquam ſecerne, quiſquis ſtilo atq; animo laboras. Ego nunc inferri* BELLARIA *jubebo, & apparatũ hunc promiſſis delitiis claudam. Has exſpecta, Philologe Lector.*

FINIS.

Digitized by Google

IN

ERYCI PVTEANI V. C.

EPISTOLARVM

FERCVLA SECVNDA.

Non ſecus ac felix & fertilis ubere terra,
Quam fovet & labor & ruſtica ſedulitas,
Non piget uſq; alios aliis ſubmittere fetus,
Æterno tanquam læta puerperio:
Sic PVTEANE *tui fecundum pectoris arvum*
Cernimus in mirum luxuriare modum,
Et meſſem hanc aliis mox meſſibus, atq; priorem
Auctumnum auctumno continuare novo.
Auctumnum, qualem haud Phæacum pinguia rura
Norant, Alcinoi regna beata ſenis:
Qualis & Heſperidum provenit nullus in hortis,
Pomonæq; ſacro prodijt è gremio.
Nec verò ſuat, hîc ſatietem ut copia gignat,
Deliciis uſu quod venit in reliquis,
Decedatve aliquid, depoſta ubi gratia primùm
Quam rebus novitas conciliare ſolet;
Semper delectent mellita hæc mattya; ſemper
Juverit ut paſci nectare & ambroſiâ.
Tu modò, age, & Muſis & mundo talia perge
Dona dare, ut dederis multa, daturè parùm;
Atq; ſtilo & ſtudio ſic impiger indefeſſo
Huic & venturis conſule temporibus.

PHILIPP. RVBENIVS.

IN
EADEM FERCVLA SECVNDA.

FERCVLA *cur* ERYCI *Mortalibus* ALTERA *ponis?*
Has cœnare volet Juppiter ipſe dapes.

THOMAS SEGETVS SCOTVS.

Digitized by Google

ERYCI PVTEANI

ELOQVENTIÆ AVSPICIA SECVNDA.

ORATIO AD MEDIOLANENSES,

In Scholis PALATINIS, Prid. Eid. Nouembr. ∞. IↃCI. habita.

Item

ADLOCVTIO AD IVVENTVTEM, *Extemporanea.*

Clariſſime Vir,
LVDOVICE SEPTALI.

SECVNDAM *hanc muneris mei pompam, videndam multis, ante multos vide, an videri debeat. Verba ſunt; ſed ea panè ipſa, quæ audiſti: nunc verò voce geſtúque ſpoliata, denuò judicanda, ſi judices. Dicta placuêre: placere ſcripta cupiam, ut pluribus placeant. Nam qui audiverunt, unius urbis & ſeculi finibus clauſi; qui legent, alii & alii erunt, ſi digna lectione invenient. Salve, & ama, qui te amat,*

ERYCIVS PVTEANVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRI V.

HERCVLI BLANCIO

XENIVM,

ET AMICITIÆ TESSERAM

ERYCIVS PVTEANVS

Lætus lubens mitto.

NOVVS Annus eſt, & tu mihi nouus Amicus, Illuſtris Vir. Anni cauſsâ Xenium; Amicitiæ, Teſſeram, dicatis AVSPICIIS mitto; & vtrumq; voto cõcepto comitor: *Annus vt felix; Amicitia vt perennis ſit*, Virtutis & litterarum velut fibris nixa. Comitor: & à fuco Xenium, à fallaciis Teſſeram vindico, quibus nimiùm nunc munera, & amicitiæ inquinãtur. Ego verò cãdidi Candoris candidatus munus tibi debere videor, quia amo; amorem, quia mereris. cùm munere autem amorem tibi ſiſto; vt hunc commendem, illud extenuẽ: tuque ex ipsâ comparatione alterius granditatem, alterius paruitatẽ deprehendens, ad amandum, non remunerandum prouoceris. Quà amo, non quà dono mutuum ſtipulor; quia donando reſtrictus ſum. Ad præmii namq; & fœnoris ſpem quamdam

Digitized by Google

conferri ſplendida illa & blandientia munera videntur: negligere ſiue recuſare gratiam, qui puſillum donat. Sed annon hoc quoque ſatis gratiæ erit, ſi ad lancem & demenium amor? Satis: ſi laudem Virtutis æſtimem. Habere enim ſupra vulgum neſcio quid vulgò dicar, ſi tu, qui ſupra vulgũ, non vulgariter me ames. Ita namque comparatum eſt, vt qui ſacro amoris vinclo iũcti, morum & animi quadam ſimilitudine cenſeantur. Sic fauſta AVSPICIA iſta ſint, quæ, te Auſpice, ad ELOQVENTIÆ, ſi non laudem, ſaltem ſpem emitto. Mediolani, Poſtridie Kal. Ianuar. ∞.IↃCII.

Ad

Ad Lectorem.

ANNIVERSARIA *iſthæc mihi* AVSPICIA, *mi Lector, Muneris mei cauſâ: Publicè habenda, cùm poſt æſtiuales ferias, ab agro ad vrbem, ab otio ad ſtudia Iuuentus redit. Id primùm,* PANEGYRICO *ad Senatum huius vrbis; & nunc ſecundùm,* ORATIONE *ad Populum feci. Sed Panegyricum poſtquam dixi, emittere, quia dixi, auſus ſum; & nunc Orationem, quia dixi; imò, quia feliciter, quia cum applauſu. Dicendo enim viam ad editionem aperui, typoſq; impetraui; benedicendo merui, vt ſine ambitionis obiice impetrarem. Et ſic tamen in iudicium denuò mitto, an meruerim.*

Omnes mortales ſeſe laudari expêtunt: *Ego tamen eo ingenio ſum, vt nolim dubiam laudem: dubia autem mihi viſa, quæ à ſolis auribus pendens, oculorum bilancem non experta. Tu itaque, qui audiſti, & qui non audiſti, lege; imò iudica, modeſtum ac diligentem Profeſſorem* MVNERIS SVI RATIONES *diſpungentem. Vale.*

IN ERYCI PVTEANI V. C. ELOQVENTIÆ MVNVS, Muneriſque AVSPICIA SECVNDA.

*R*HETORIS *egregiè qui præſtat & Oratoris*
Et voce & ſcriptis inſimul officium,
Non è pluribus hic, tunicatâ aut fece; ſed omnes
Doctoris pariter qui teneat numeros.
Quales hi quondam, Argolici qui gloria palli
Dicendiq; velut regula certa cluent.
Qualis item Marcus flos deliciaq; Quiritum,
Tuq; immane togæ Quintiliane decus.
At tu nunc PVTEANE, *ſuper quē inſignia laudis*
Plurima, & iſta duplex infula condecorat,
Vt præcepta ſimul des edecumata, tuiq;
Ipſius exemplo, quid deceat, doceas.
Nam qui ſcriptorum mel guſtauêre tuorum,
Antiquis iurent edita temporibus.
Qui melos hauſerunt facientis verba Suadam,
Ipſam audiſſe putent & Venerem & Charites.
Ergò iure tibi reſonant ſubſellia plauſu,
Et grande exertâ voce Sophos repetunt.
Ergò iam meritò Fama verſaris in ore,
Et poſt hac ſeclis innumerabilibus.

PHILIPPVS RVBENIVS.

Digitized by Google

ERYCI PVTEANI

ELOQVENTIÆ AVSPICIA SECVNDA.

ORATIO AD MEDIOLANENSES,

IANVM Antiquitas, Auditores, Bicipitem, velut Prudentiæ quamdam imaginem, typumque finxit; vt in rebus conſiliiſq; non tantùm quid actum, ſed quid agendum quoque eſſet, pari lance expenſum haberemus; & in futurum præmittere feſtinantes cogitationes ſoliciti, & adſtricto quodam conſilii freno cohibere ac reflectere cati, ad ea quæ præterita ſunt. Rectè. Ratio enim tranſacti forma quædam futuri eſt; vt ſi quid feliciter ſucceſſerit, hoc ipſum ſecuro exemplo affectare; ſi quid præter animi ſententiam paſſi ſimus, euitare ſtudeamus. Ego verò cùm in hoc ſtudiorum principio, & non Iani dicam, ſed Suadæ limine Orationem more maiorum habiturus eſſem, Muneris publici cauſſâ; ætatem hanc meam, dicendique verecundiam prudéntiæ quadam affectatione ſupplere conatus ſum; &, Bifrõtem cogitans, elapſi ſucceſſum anni breuiter referre, & inſtantis ſimul rationem diſputare conſtitui; vt, bono omine, vos quoque, Auditores

Digitized by Google

mentis illâ remorâ paullisper in præterito conſiſtatis, mox orationis meæ liquido & leni curſu in futurum transferendi. ita enim alij, induſtriâ meâ perſpectâ, palàm intelligent, quem fructum deinceps ab ingenio meo ſpondere Reipub. poſſint, ſi ſpecimẽ de præterito habeant: alii ab otio & vmbrâ emergẽtes, publicè diſcere, & ſimul videri cupient, ſi Orationis hoc guſtu ſiue illice fuerint excitati. Conueniſtis enim partim tamquam Auditores, vt ſubductam anni ratiunculam habeatis, quam ſequamini: partim tamquam Iudices, vt cognoſcatis, an Auditores merear. Ego verò in memoriâ omnium quæ dixi docuiq; in oculis & cõſpectu eſſe cupio, quæ dicturus docturusque ſum: cùm docendo dicendoque non neceſſariò ad lucrum, ſed ſpõte ad laudem nitar, ab vmbratici Doctoris nomine & inertia alienus. Ad laudem dico, quam publicà vtilitate metior. Publicè enim prodeſſe (reſpondeat modò Iuuentus, & agnoſcant ii, à quorum Iuuentus imperio pendet) Prodeſſe inquam publicè mens & voluntas mihi fuit; eritque, dum munus ipſum erit. Sic cum laude munus functurus; etſi omninò effectum non conſequar; *quòd omnibus bonis in rebus*, vt Appuleius ſcriptum reliquit, *conatus in laude, effectus in caſu eſt: ita vt contra in maleficiis etiam cogitata ſcelera, non perfecta adhuc vendicantur; cruentâ mente, purâ manu. Ergò ſicut ad pœnam ſufficit, meditari punienda: ſic & ad laudem ſatis eſt, conari prædicanda*. Vos autem qui vtriuſque arbitri præſentia veſtra facti eſtis, aures animumque ſultis aduertite, atq; decernite, conatum meum dumtaxat, an effectũ quoq; laudandum in iis quæ feci cenſeatis: in iis autem quæ facturus

Digitized by Google

facturus ſum, an præter conatum effectum quoq; ſperare debeam. Quemadmodum illi qui celeſtes è terreno domicilio regiones animi quodã itinere pererrant, ac Deorum ſtellis illuſtres orbes, ſiderumq; curſus ad legem numerumque ſupputant; à Sole ſolent & orbe principe initium capere: ita ego ad Eloquentiæ hoc munus euectus, ab ipſo Atlante Cicerone, in quo vno potiſſimùm nititur Latini eloquii Suada, auſpicatus ſum. Hunc igitur & *pro Milone fortiſſimo viro orantem* repræſentaui; & *de Legibus, ad exemplum Platonis, philoſophantem* produxi. Quo conſilio? vt & Philorhetores mei rudimentum quoddam iuris acciperent; & Iuris tirones, oratorio hoc puluere perfuſi, læta ac matura in forum curiamque ſtudia proferrent. Tam arcto enim hæc inter ſe nodo iuncta & nexa ſunt; vt ſine Iuriſprudentiæ adminiculo trunca & imperfecta oratoris laus; & ſine Eloquentiæ armis imbecillis ac eneruis Iuriſconſulti conatus exiſtat. Date mihi paulliſper priſca illa Iuris Lumina, quorum Reſponſa vim Legum iure meritò obtinuerunt: illa antiqua Eloquentiæ decora, quorum in dicendo venus, ardor, maieſtas emicuit: pariter omninò in iuris ſtudio, & oratoriis præceptis elaborarunt? Sed de omnibus nimis longum eſſet ſingulatim dicere: vnum Ciceronem, de quo ſermo eſt, in verborum meorum ſubſidium voco. Prodi igitur tu Oratorum Princeps, & in Attici perſonâ ſcribens, ſtudiorum tuorum rationem ob oculos nobis pone: imò tu potius Attice tributum tibi à Tullio ſermonem exſequere; vt alienum teſtimonium videatur, verbaq; fidem faciliùs inueniant. Atticum è primo de Legibus audite: *Quini-*

Digitized by Google

gitur iſta ipſa explicas nobis his ſubſeciuis, vt aïs, temporibus, & conſcribis de Iure Ciuili ſubtilius quam cateri? Nam à primo tempore ætatis iuri ſtudere te memini, cùm ipſe etiam ad Scæuolam ventitarem: neque vnquam mihi viſus es ita te ad dicendum dediſſe, vt Ius Ciuile contemneres. Sed nunc ipſum quoque Ciceronem proferre lubet, quem, è Bruto vobis ſiſto: *Ego autem Iuris Ciuilis ſtudio, multùm opera dabam Q. Scæuolæ P. filio, qui quanquam nemini ad docendum ſe dabat: tamen conſulentibus reſpondendo, ſtudioſos audiendi docebat.* Quod Cicero igitur fecit faciundum Auditoribus meis cenſui; eò etiam magis, quia ipſe feci, & trienniũ, poſtquam Philoſophi titulo donatus ſum, antiquarum Legum tabulis impendi. illud autem quàm maxime in aliis cernere libido eſt, quod in nobismet ipſi expreſſimus; inprimis, ſi cum fructu aliquo, atque emolumento expreſſimus. Quia verò vniuerſa hæc Philologia noſtra in Lectione & Stilo poſita eſt, *Rationem Legendi optimos auctores, & Eligendi Methodum* tradidi. *Scribendi Normam*, & *Declamandi Leges* dedi, eâ induſtriâ, & modo, quem (niſi me ingenium fallit) docti probent, indocti appetant: illi intelligant, hi ſuſpiciant. Denique *De Diſtinctionibus Syntagma* compoſui, dictaui, edidi: de quo gaudere ipſe, quam dicere malo; ne non tam indicare induſtriam meam dicendo, quàm laudare velle videar, illam iam publicis typis conſignatam, publico iudicio commiſſam. Si quis fuit qui calumniæ ſuæ dentem innoxio & innocuo libello inprimere tentauerit, non me profectò læſit, ſed ſuum potiùs delirium patefecit, ridendumque propoſuit. Quid autẽ cur me ipſe torqueam?

hoc quoque genus inuenitur (vt olim Platonicus ille conqueſtus eſt) *qui meliores obtrectare malũt quàm imitari; & quorum ſimilitudinem deſperent, eorum affectent ſimultatem*. Hæc quidem in publico fuêre: poſſem nunc quoque priuatas *Exercitationes*, *Diſſertationes*, *Scriptiones*, è muſæo & Laris ſilentio, è Sole & vmbrâ, è campis & ſpatiis, huc in conſpectum veſtrum & clariſſimam lucem proferre, quas nullo priuato commodo publicis Lectionibus adieci, & corollarii loco ſectatoribus meis admenſus ſum; niſi iam publicè publico ſtipendio ſatisfeciſſe, & communi omnium reſpondiſſe expectationi viderer. Sic igitur quæ tranſacta ſunt dixi; imò quæ dicta ſunt feci. dixi autem quia feci; nec feci tamen vti dicerem. Ego tamen vereor, vt quorumdam ingenia ſunt, ne hæc ipſa, quæ alio quopiam referente magnifica laudisq; fœcunda fuiſſent, me ipſo, qui feci recenſente, euaneſcant. *Homines enim*, vti Plinio ſubſcribo, *cum rem deſtruere non poſſunt, iactationem eius inceſſunt: ita ſi ſilenda feceris, factum ipſum: ſi laudanda, quòd non ſileas ipſe, culpatur*. Quare iam conſcientiâ meâ ſubnixus, breui facilique traiectu temporis de præterito in futurum Orationem tranſmitto, vt quæ deinceps, quo ordine, quo modo aggreſſurus ſim, in anteceſſum videatis. Cùm verò diligentiùs rem vniuerſam expendo, difficiliorem Orationis partẽ, poſtquã è præterito emerſi, permenſus mihi videor, ſecurè, ac ſine vllâ deinceps remorâ aut obſtaculo dicturus. quæ enim trãſacta ſunt, dicendo corrigere non licet: quæ verò præ manibus ſunt, exſequẽdo, pro conſilii ratione, mutare. Quocirca ſi probatis quæ tranſacta ſunt, iuſto quoque iudicio cenſete quæ futura ſunt; vt hæc quoque appro-
Digitized by Google

betis. Cùm dicendi facultas Arte, quæ Naturam; & Exercitatione, quæ Imitationem comitem ſibi adſciſcit, conſtet, Eloquentiæ velut quadrigam quamdam paratam mihi video quam inſcendam, & quam regam ad cœleſtem & Phœbæum illum motum, donec anni ipſius conuerſione, ad nouum Doctrinæ ordinem fuero translatus. Ab *Arte* igitur, ſiue *Præceptis* initium faciam: quæ dubiũ fuit, è priſco aliquo ſcriptore, Ariſtotele, Cicerone, Quinctiliano deſumerem; an ex his omnib' meo quodam filo ac methodo concinnarem: eoque tandem, libratis expenſiſque vtrimque rationib', ſententiæ meæ lancem inclinaui, vt ipſe dictanda potiùs congererem, quàm explicanda aliunde deſumerem: ſic deſiderio multorum obſecuturus, qui excipere doctrinam calamo, quam aurib. malunt: ſic quoq; temporis compendium facturus, ne vniuerſus ille annus ſoli Arti impendatur. Tu qui voles, ſume tibi *Quinctiliani Inſtitutiones* interpretandas; ſed quid? annon tot libros, quot menſes inueneris? Sume *Ciceronis de Oratore* luculentum opus; annon citiùs ad anni terminum, quàm librorum finem appuleris? Sume laudatam *Ariſtotelis Rhetoricam*; annon plus tibi operis, quàm temporis? Huiuſmodi ſanè libros inchoare publicè cum pompa & oſtentatione licet: abſoluere, niſi priuatim, cum emolumento non licet. Quid exemplis rem probo; & defectus ſcholarum publicos hîc recenſeo? ſed nec ſententiam meam auctoritate defendo; etſi veſtigia quorumdam video, qui rectam docendi viam ſtrenuè calcarunt. Multos equidem offendo, ſi rem ipſam in vitio poſitam culpẽ: paucos mihi demereor, ſi probos honeſtoſq;

Digitized by Google

neſtoſque conatus elogio proſequar. Eò enim (ignoſcat mihi Scholæ Genius) prauo vſu declinatũ eſt, vt cùm plura in diſciplinarũ docẽdarum ratione culpanda quàm laudanda ſint, ſi laudauero parcus, ſi culpauero nimius fuiſſe videar; quamuis & laudando copioſus, & culpãdo reſtrictus exiſtam. Quid igitur? is ego ſum, qui ab Ariſtotele, Cicerone, Quinctiliano, reliquiſque docti pulueris magiſtris Iuuentutem abduco? nequaquam: ad eoſdẽ eamdem potiùs duco. omnes enim explicare aggredior, dum ſingulos negligo; & ab omnibus doctrinæ ſubſidiũ accipio, dum in nullius verba pertinaciter iuro. Et ſic tamen cùm meo omnia Marte dixero, dictauero, explicauero; aditus ad luculentiſſimos Auctores liber eſt, lectio integra, iudicium impeditum. De *Arte* habuiſtis Auditores, quibus vt *Naturam*, id eſt, Ingenium adferatis, verbis non præcipio. id enim à Deo pendet, & à ſolo Deo hominibus datur; etſi corrigere Naturæ aliquem defectum ipſa Exercitatione conceſſum eſt. Quare ad *Exercitationem* tranſeo, ac de eadem cõſilii mei putatam rationem expono. Bonarum litterarum omniumque artium intertrimentum ac defectum ab otio & deſidia natum eſſe, manifeſtũ euadet, ſi priſca illa ſecula & ſtudia contemplere. *Quis enim ignorat* (verba Quinctiliani ſunt) *& Eloquentiam, & cæteras Artes deſciuiſſe ab illâ vetere gloriâ non inopiâ hominum; ſed deſidiâ Iuuentutis, & negligentiâ parentum, & inſcientiâ præcipientium, & obliuione moris antiqui?* Non profectò inopia hominum, aut ingeniorum. Ineptum enim eſſet, laſſam aut effœtam iam Naturam dicere, quaſi ingenii nobis vim conſeruare non potuerit; cùm fami-

Digitized by Google

liarem quoque deſidiam noſtram (tantum enim ingenio creſcimus, quantum induſtriâ deficimus) velut ſolicita mater me[illegible]is quodam incremento oppugnare videatur. Quo magis adnitendum eſſe arbitror, vt cùm Natura ipſa conſpirantes, tantùm Exercitationi è more priſco impendamus, quantum Eloquentiâ delectamur. Itaque, vt ad exemplum veterum, ad profectum diſcentium omnis inſtitutio dirigatur, vocem ſtilumque Auditorum meorum ſimul exercere inſtitui; vt hac velut face, & hoc viatico, ad vota feſtinent, & Famæ ſe inſerant. Hæc enim Doctoris laus eſt maxima, ad laudem Diſcipulum promouere; imò hic vniuerſę Profeſſionis meæ finis eſt, vt ad meum ipſius nomen & munus quiſpiam è iuuentute iſtâ exſurgat. Quod vt Exercitatione conſequamur, *Imitatio* adiungenda eſt; ſed Imitatio non vnius tantùm, ſed vnius potiſſimum Ciceronis, è quo ſine periculo vllo electionis decerpere omnia atq; libare liceat. Nam etſi inter veteres illos alii quoque fuerunt, qui dicendi gloriâ floruerunt; inueneris tamen, velut in ampliſſimo quodam campo, noxias alibi herbas ſterileſq; plantas, quas ſiue ætatis ac ſtili confirmati ſubſidio non diſcernas, ſine ſcriptionis tuæ damno non decerpas; niſi Hortenſius ipſe, aut ex Hortenſiis fueris, magnoque iudicio, ac ſelectu decerpſeris. Si fueris, repagulo ac limite omni remoto, ad nulla non Scriptorum te viſeta ducam, imò impellam. Interim Ciceroni eumdem in Scholis & in hac Eloquentiæ Palæſtrâ locum faciam, quem pro Roſtris & in Academiâ olim dicendo ac ſcribendo obtinuit; vt primus legatur atque audiatur. Sed quemadmodum

Digitized by Google

periti ſculptores non vniuerſam ſtatim imaginem, verùm digniſſimam hominis partem caput præfigere tironi ſolent: ita ego in ipſo Cicerone ſelectum faciens, illud potiſſimùm ſcriptum, ſiue fragmentum delineare aggrediar, in quo velut capite, elegantiarum omnium meatus ac domicilia, ipſiusque Philoſophiæ ac Philologiæ ſedes poſita eſt. Equidem cùm attentionem & intentionem veſtram intueor, præiuiſſe tacitâ mente indicium & nomenclaturam meam videmini: & concepiſſe librum, quem indicare geſtio: etſi nullum ego vobis conceptum malim; vt integrum potiùs aſſenſum veſtrum meo indicio merear, quàm aut reuocare mentem, ſi coniectando erraueritis; aut ex ſuperuacuo monere videar, ſi diuinando fueritis adſecuti. Sed ne verborum cunctatione vos ſuſpenſos habeam, Nomenclator ecce fio, ac titulum pronuncio. M. Tvlli Somnivm Scipionis eſt: ſcriptum & elogiis veterum illuſtre, & per ſe vtile iucundumque velut Κέρας ἀμαλθείας, vberrimos ac lætiſſimos doctrinarum fructus repræſentans. Euoluite librum, excutite dictionem, expendite argumentum: iratas omnes Muſas perpetuò habeam, niſi volentes lubenteſque in ſententiam meam pedibus eatis. De Cicerone quidem cùm ſermo inſtituitur, neceſſum non eſt elegantiam ſtili verbis adſtruere: neceſſum fortaſſe, perſuaſum habeatis, latere in aureo aurei huius ſcripti fundo, præter Grammaticæ Rhetoricæque theſauros, Arithmeticæ abacum, Muſicæ modos, Geometriç puluerẽ, Aſtronomię imagines, Moralis Politicæq; ac Naturalis Philoſophiæ quamdam vmbrã: quæ omnia & cognoſcẽda futuro Oratori

ſunt, ſi tam auguſtum ſuſtinere nomen velit; ſed ipſi ELOQVENTIÆ PROFESSORI cognita eſſe debent, niſi impar humeris onus ſuſcepiſſe videatur. Quid mirum? Eloquentia quædam quaſi Sapientia, id eſt ſcientiarum omnium artiumque Orbis, Græcè ἐγκυκλοπαιδεία appellari poteſt. Priſcis enim illis temporibus, quibus rerum cognitio nata eſt, hæc vna ſcientia exiſtimabatur, ſcientias omnes poſſidere. Poſtquàm verò paullatim hominum genus procliue à labore ad faſtum luxumque iret; vel certè latiùs hæ ſuos artes terminos propagarent, nimisq; arduum videretur in vniuerſo genere ſingulos elaborare, ſecerni ſcientiæ cœperũt, & tamquam ex aliquo monte riuorum: ita ex hoc ſapientię quaſi iugo ſunt doctrinarum diuortia facta: quæ in vnum tandem Eloquentiæ pelagus receptæ, denuò vniũtur. Etenim hæc illa ſtudia, velut florida quædam prata ſunt, & varietate conſtant. Quot iſtic flores, hic artes, quot iſtic herbæ, hic diſciplinæ. Quarum omnium radices Oratori indagandæ ſunt, ſucci exprimendi, vis & ratio edocenda; ſi modo, vt hortorum experimenta ad corporis vſum: ſic ſtudiorum exercitia ad animi cultum referre nitatur. Quòd mortalium vita in arctum à Naturâ concluſa, morborum moleſtiis, periculisq; obnoxia ſit, quis neget herbarum ſiue neglectu, ſiue abuſu maximè fieri; cùm aut infeſtos nobis ſuccos imperitia libamus, aut inertia negligimus. Primos enim illos mortales non tantùm Macrobios, ſiue longæuos, ſed etiam ſanos robuſtosque hac potiſſimùm de cauſſa fuiſſe exiſtimo, quod herbarum virtute, quarum perfectiſſima cognitione præditi erant, corporis contra-

ctum ali-

Digitized by Google

ctum aliquod vitium, aut naturæ mendum, ſtatim ac facile corrigebant: pariter priſco illo æuo, cùm in honore, & cultu Artes ingenuæ eſſent, non tantùm pura, ac læta Eloquentia florebat; ſed ſpoliatum omni motu, ac cupidine animum virtute quiſque induebat: nūc verò quia ludibrio litteræ ſunt, ignauia, vanitas, ferocia Iuuentutem tenent. Et ſic Doctores ipſi *neceſſe habent cum inſanientibus furere. Nam niſi dixerint, quæ Adoleſcentuli probent, ſoli in ſcholis relinquentur. Sicut ficti adulatores cùm cœnas diuitum captant, nihil priùs meditantur, quàm vt quaſdam inſidias auribus faciant: ſic Eloquentiæ magiſter, niſi tamquam piſcator eam impoſuerit hamis eſcam, quàm ſcierit appetituros eſſe piſciculos, ſine ſpe prædæ moratur in ſcopulo.* Sed quid hoc aliud, quàm quod apud Agellium Taurus Philoſophus conqueritur, legem diſcipulos dare quâ diſcant? *Alius ait: hoc me primum doce. Item alius, Hoc volo, inquit, diſcere, iſtud nolo. Hic à Sympoſio Platonis incipere geſtit, propter Alcibiadis comeſſationem: ille à Phædro, propter Lyſiæ orationem.* Quid ergò eſt? ſtudio vincenda obrepentia vitia ſunt, & cum Eloquentia cæteræ quoque artes delibandæ, ſine quibus aridam inſipidamq; Eloquentiam habeas. Pictorem cenſere ſolemus, non qui faciem dumtaxat hominis, ſed qui reliqua quoque membra, totumque hominem, & nudum curioſis oculis obiicere, & induere colorum quadam purpurâ queat: ita planè Oratorem arbitrari debemus, qui non tantùm ipſam ſuam Rhetoricam clamare, *de Quæſtionum differentiis, Cauſſarum generibus*, cæteriſq; illis publicè decantatis diſſerere; ſed ex omnium rerum puluillis nectere hanc floridæ Eloquentiæ

Digitized by Google

corollam poſſit. A Græcis, Latinis, Barbaris, res & exempla petenda ſunt, quæ verbis exornentur; & ex omni Scientiarum penu (quemadmodum Cicero copioſiùs in libris de Oratore proſecutus eſt) materia depromenda eſt, quæ oratione explicetur. Sic priſci illi Rhetores: ſic nunc quoq; (nec enim recentia exempla ſpernenda ſunt) qui voce & ſtilo publicè Iuuentutem ducunt: alii alibi; ſed in Ticinenſi veſtro Athenæo, ille, quem proximè inſpicio & ſuſpicio, HENRICVS FARNESIVS, cuius ego induſtriam ſtimulum, doctrinam ſubſidium, auctoritatem exemplum habeo. Ac ſic quidem quæ ſecundo hoc anno facturus ſum, ſatis ſuperq; dixiſſe mihi videor. Dixiſſe inquã, ſed docenda publicâ cauſsâ, vt dicta docendo exſequar. Quod dũ facio, conãti mihi album calculũ veſtrum adiicite: quemadmodũ dicenti tranquillũ ſilentium tribuiſtis. Quâ ſpe fretus, nõ ampliùs diſputo, an cũ fructu anni circulum partitus ſim; ſed laboro potiùs, vt eumdem illum fructum, iam ſpe maturũ, & promiſſo vberẽ feliciter percipiatis. Vos hortor, quorum vacuum ingenii, vt ita dicam, etiam nunc horreum eſt; vt ex hac ſcholâ, tãquam è publico agro, copioſam meſſem colligatis. Vos rogo, quorum vt cum Poëta dicam,

— *immenſæ ruperunt horrea meſſes,*

Vt, ſi nõ annonæ, certè animi cauſsâ ſpicas aliquot collectum eatis ſtudij ac doctrinæ: ſic clariſſimum indicium habituri, quid Iuuentus veſtra proficiat; quo pretio tempus litteris, ſilentium Scholæ, ſeipſam Profeſſori impendat. DIXI.

ITERA-

Digitized by Google

ITERATIO
AD LECTOREM.

AD Iuuentutem ipſam ſeorſim quoq́; verba feci, imò verò recitaui, Amice Lector; ſed pauca: quæ eadem penè horâ concepta animo, & ore nata, non tumidè, ſed timidè produco. Noxiæ mihi neſcio quæ auræ ſpirant, tabemq́; adſpirant à liuente plagâ: niſi caueo, diſcrimen in procliui eſt; peritq́; Appendicula iſta, haut aliter quàm extrema faba. Ego verò non caueo: lubenſq́; obiicior tam inanibus flabris; ne per rimas inſuſurrent. Spartani infantem recèns natum frigidæ immergebant, vt Naturæ viribus exploratis, aut robuſtum, aut nullum haberent: ſic ego hunc infantiæ meæ repentinum partum publicum eſſe cupio; vt ſi vim iniuriamq́; liuoris ſuſtineat, vitalis ſit; ſin minus, euaneſcat. Famam diuturnam potiùs, quàm immenſam cogito: ſane cogitanti.

ERYCI PVTEANI

ADLOCVTIO EXTEMPORANEA

AD IVVENTVTEM.

PRIVSQVAM è carceribus in circum & curſum me proripio, Philologi iuuenes, ac indefeſſo vocis meæ motu doctum puluerem colligo noſtræ ſcholæ, adloqui hortariq; paucis, & ſuccinctis velut verbis vos non paucos volui: vt dum illum, non terrarum cum poliorcete aliquo; ſed ſcientiarum artiumq; cum ſapiente Orbem me duce ſubigitis, ſtrenuì volenteſque in Eloquentiæ hiſce caſtris excubetis, ſtudio, frequentiâ, & animi vigili motu. Ego quidem facillimam adire mihi prouinciam videbor, ſi negotium apud faciles benignoſque erit: difficillimum, ſi apud refractarios aut moroſos. Inuitum enim docere æquè facilè, ac pertuſum vas replere; æquè vtile, ac laborem profundere. Quod non in eam ſententiã depromptum videri cupio, quaſi læuæ ſuſpicionis ſigna, aut querelarum cauſſæ ſuperſint; ſed ut pro laude monitio ſit, ſi currentes velim excitare. Amat enim audire quiſque, quod cum laude agit; vt quò monitione ducitur, perueniſſe videatur. Ego verò moneo, ne laudare videar; moneo, vt ſub hoc

Digitized by Google

velut velo animus verecũdus ſine ambitione laudẽ inueniat. Adeſte igitur, ſed lubentes: adeſte, ſed ne coacti ſitis: adeſte, ſed amore litterarum impulſi. Athenis olim in veſtibulo Academiæ, vt Pauſanias ſcribit, ara amoris extabat: quid niſi, vt diſcẽdi ardorem animo conciperet, quiſquis ad diſcẽdum introiret? Amor ipſe Sapientiæ, ac Humanitati nomina impoſuit, illa vt φιλοσοφία; hæc vt φιλολογία diceretur. Etenim magna pars profectus eſt, velle ꝓficere. Voluntatem namque, velut nexu quodam, conatus ſequitur: conatũ effectus. Vos autem vultis, conamini, efficitis, iam ipſo otio laſſi, & iuſtitio litterarum: ſic

——— Vires inſtigat alitq;
Tempeſtina quies. maior poſt otia virtus.

Quieuiſtis enim, velut poſt longiuſculũ iter, poſtquam meliores anni horæ Muſarum ſtudiis abſumptæ ſunt; diſcendo autem meruiſſe quietem videbamini, poſtquàm tam ſedulam continuamque docenti operam exhibueratis: & quieſcendo ad nouum hornumque laborem animati eſtis, poſtquàm feriarum hanc moram lapſu temporis ſuperaſtis. Itaque cuncta mihi à vobis denuò, vobis à me polliceor. mihi à vobis, cùm ingenium veſtrum in optima ſtudia procliue: vobis à me, cùm labor & induſtria mea publicæ vtilitati conſecrata, in aperto ſit. Sic pronꝰ prõptusq; ſum; quia pariter vos affectos cerno, in me, bonasq; artes: promptus ſtudio, pronus naturâ: promptꝰ ſtudio, promptus naturâ, pronus ſtudio, pronus naturâ: vt vocis pectoriſque ad vos riuum ducam, quem ingenii quodam alueo, mentiſque ripis excipiatis. Sed frequentiam voco, frequentiam voueo: & meritò, in

Digitized by Google

tantâ vrbe, in tantâ iuuentute. Vt qui annonam curant, in vbere prouentu bonam ſolent partem in ſementem reſeruare: ſic qui bonas artes profitentur florem ſibi ingeniorum non immeritò depoſcunt, vt Reip. adoleſcat. Publicè id fieri non inficias ibit, qui publicum, non priuatum quærit. Mihi autem nullus numerus ſatis eſt; etſi, meâ quidem cauſsâ, vel exiguus ſatis, ſi ſic cum fructu docere videor. Sed Auditorum copia tantum abeſt, vt aridum aut ſiccum me faciat, vt venas tuboſque Eloquentiæ atque Eruditionis laxatura ſit. Omnibus enim paro, quod ſingulis: & haurient omnes, quod ſinguli; imò ſinguli, quod omnes. *Non enim vox vlla Præceptoris*, Quinctiliano ſcribente, *vt cœna minus pluribus ſufficit; ſed vt Sol vniuerſis idem lucis caloriſq; largitur*. Itaque non impedior frequentiâ veſtrâ; ſed nec vos ipſi impedimini. Nam vt ille qui in Solem venit, non ideò minus calorem ſentit, quòd cùm multis venit: ſic neque ſi cum multis me audis, minus audias: nec ſi ſolus diſcas, plus diſcas; ſed ſi inter plures plura diſcere cupias. O felix ſtudiorum æmulatio! ſine contentione laudabilis, ſine inuidiâ fertilis, quæ naſcitur inter plures, feruet inter plures: quæ naſcitur ſine malo, alitur ſine dolo, feruet ſine malo dolo: quæ naſcitur, alitur, feruet tranquillo incendio, & felici flammâ. Pluribus verbis non vtor, ne frequentiam verbis ſtipuler, quam vultu geſtuque iam vltrò deſpondiſtis. Ergò deſponſam accipio: Deumque precor, vt cum Muſis Hygiam propitiam, & parem è ſtudiis deſiderio fructum habeatis. Vos autem ſuauiſſimi hoſpites & amici, GVILIELME RICHARDOTE, & PHILIPPE RVBENI, qui,

Digitized by Google

vt diſſerentem PVTEANVM in hac luce audiretis, pedem ex itinere, prius in Scholam, quàm hoſpitium poſuiſtis, feliciter poſueritis; vt æterna veſtigia impreſſa maneant, mihi in gaudium, iuuentuti in exemplum, quod meâ iuuentus, ego iuuentutis cauſsâ voueo; & Peregrinationem vobis ex animi ſententiâ felicem. DIXI.

IMAGO RHETORICES,

A MARCIANO CAPELLÂ.

SVBTILISSIMI *corporis, ac fiduciæ grandioris, vultus etiam decore luculenta, femina inſignis ingreditur; cui galeatus vertex, ac regali caput maieſtate ſertatum: arma in manibus, quibus ſe vel communire ſolita, vel aduerſarios vulnerare, fulmineâ quadã corruſcatione renitebant. Subarmalis autem veſtis illi peplo quodam circa humeros inuoluto latialiter tegebatur, quod omnium figurarum lumine variatũ, cunctorum ſchemata præferebat. Pectus autem exquiſitiſſimis gemmarum coloribus baltheatum. Hæc cùm in progreſſu arma concuſſerat, velut fulgureæ nubis fragore colliſo bombis diſſultantibus fracta diceres crepitare tonitrua. Denique creditur quòd inſtar Iouis eadem poſſet etiam fulmina iaculari. Nam velut impotens rerum omnium regina, & impellere quò vellet, & vnde vellet deducere, & in lacrymas flectere, & in rabiem concitare, & in alios etiam vultus ſenſusque con-*

Digitized by Google

uertere tam urbes quam exercitus præliantes, & quæcumque poterat agmina populorum. Hæc etiam Senatum, Roſtra, Iudicia domuiſſe ingente Romuleâ: Athenis verò Curiam, Gymnaſin, Theatraq́; pro arbitrio reflexiſſe, ac totam funditus Græciam miſcuiſſe ferebatur. Hac verò loquente, qui vultus vocisvé ſonus, quãtaq́; excellentia celſitudoq́; ſermonis! Audire operæpretium etiam ſuperis fuit, tanta inuentionis ingenium; tam facundæ vbertatis eloquium; tam capacis memoriæ recordationisq́; theſaurum: qualis diſponendi ordo! quam pronunciandi congruens modulatio! qui geſtus in motu! quæ profunditas in conceptu! Denique exilis in modicis; in mediocribus facilis; in elatione flammatrix: reddebatq́; cunctos in ambiguis dociles, in perſuaſione cedentes; in colliſione diſcordes; in laudibus arrogantes. At verò, cùm quid commotum publici nominis atteſtatione clamauerat, fluctuare, permiſceri, ardere omnia videbantur.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google